


Feuerborn, Justus

ΔEMATION DISPVTATIONVM THEOLOGICARVM

CVMPRIMIS
HARVM ELEGANTISSIMARVM QVAESTIONVM
EXPLICATIONEM COMPLEXARVM ACCVRATISSIMAM

I

AN IN INFANTES ACTVALIA
CADANT PECCATA

II

AN DEVS POSTEROS ET FILIOS PVNIAT
OB MAIORVM ET PARENTVM
SVORVM FLAGITIA

III

AN IMPETRATA PECCATORVM REMISSIO
PER SVBSEQVENTIA PECCATA FIERI
POSSIT IRRITA


IN ACADEMIA GIESSENA


PVBLICE PROPOSITVM ET HABITVM

AVTORE ET PRAESIDE
IVSTO FEVRBORNIO
S. S. THEOLOGIAE DOCTORE EIVSDEMQVE PROFESSORE ORDINARIO STIPENDIARIORVM EPHORO
ET ECCLESIASTE IBIDEM

OB ARGVMENTI VERO GRAVITATEM ATQVE PRAESTANTIAM
DENVO CORRECTIVS PVBLICATVM

GIESSAE ET LIPSIAE
1746


THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LIBRARIES
CHICAGO, ILL.



CHRISTIANO LECTORI
SALUTEM PLURIMAM
PRECOR.



Postquam reprehenderat Christus servum malum & pigrum, LECTOR CANDIDE, quod talentum suum in terra absconderit, nec quicquam lucratus fuerit, tandem dixit: *Tollite ab eo talentum, & date ei, qui habet decem talenta. Omni enim habenti dabitur, & abundabit; qui vero non habet, etiam id, quod habet,*

auferetur ab eo. Et inutilem servum ejicite in tenebras exteriores, illic erit fletus & stridor dentium. Matth. XXV, 24-30. Quorum Christi verborum valor & vigor singularis merito quemlibet cordatum accendat & alliciat ad industriam spartæ, a Deo sibi commissæ, exornationem & sedulam concessorum sibi donorum usurpationem. Quid enim? Servus iste malus & piger, Dei severi judicis & vindicis, incurrit iram, & atrocem, ceu Cæcias nubes, accelerat & ad se attrahit pœnam. *Talentum enim ab ipso tollitur, & alii datur: imo quod non habet, ipsi adimitur*, &, nisi resipiscat, æternum damnatur. Vbi si alicui mirum Christi pronunciatum videatur; siquidem, *quod quis non habet, id ei adimi nequit;* privatio enim prærequirit habitum: is sciat, & hic locum habere regulam: *Sæpe Sacra Scriptura nobis videtur loqui simpliciter & illimitate, cum tamen loquatur comparate & limitate.* Quare cum Christus ait: *Qui vero non habet, etiam id, quod habet, auferetur ab eo:* sensus est; *qui non habet* scilicet *recte & bene*, ita ut per Dei auxilium, dona sibi præbita studeat cum aliis communicare, ad perennem Dei solius gloriam, & Reipublicæ Christianæ exædificationem, *etiam id, quod habet*, nimirum *male & vitiose;* possidendo quidem, sed nunquam vel non recte usurpando, verum per ignaviam, aliaque vitia & maleficia, in terram quasi defodiendo nullosque fructus pro-

producendo; *auferetur ab eo*, i. e. ex justo Dei judicio suis donis & bonis spoliabitur, (id quod etiam quotidiana testatur experientia) & orbabitur. Hinc THEOPH. abbreviator CHRYSOSTOMI, in caput XIII. MATTHAEI ait: *Bene diximus, adhibenti studium datum esse, scientia abundantiorem fieri; quia adhibet studium & mentem dignam. Ab eo autem, qui non studium, nec mentem, ut par est, adhibet etiam tolli, quod habere* videtur (Luc. VIII, 13.) hoc est, *etiamsi parvam quandam boni scintillam habeat, & eam non excitet & accendat per spiritum & spiritualia opera extingui.* Et in cap. XXV. MATTHAEI inquit: *Qui non solum sibi soli prodest, sive* prudentiam habeat, *sive* divitias, *sive* potentiam & authoritatem *apud Reges, sive quamcunque aliam* vel artem, vel facultatem; *sed & aliis vult prodesse*, is duplicat, quod sibi datum est. *Qui autem talentum fodit in terram*, is est, qui *suæ* tantum utilitatis curam habet, & non *aliorum*, qui & condemnatur. Et si bonæ mentis & studiosum hominem videris, qui ingenio suo ad negotiationes, dolos, & terrena opera, abutitur, de illo dicas, quod *defoderit talentum suum sub terra*, hoc est, in terrena opera. *Item.* Qui donum aliquod in *aliorum* utilitatem accepit, *nec eo utitur*, illud etiam perdit; qui vero multiplicare studet, majorem sibi conciliabit gratiam. Diligentiam enim adhibenti dabitur major gloria, ita

ut abundet. Studium autem non adhibens, & dono, *quod videtur habere*, privabitur. Negligens enim, & qui non operatur, per ea, quæ accepit, non habet donum, ſed *videtur* habere. *Nam perdidit ſua negligentia.* Hæc ille. Quicunque ergo non vult eſſe & appellari ſervus nequam & ignavus; ille debet in ſuo officio eſſe ſedulus & impiger, ut audiat ſervus fidelis & bonus, quem Deus (non quidem ex ſuorum operum dignitate & merito; ſed ex mera gratia, & gratuita retributione) ſuper multa conſtituet, & in gaudium ſui Domini introducet. Quare hæc mecum merito reputans, volui id tempus, quod a Lectionibus aliiſque mei muneris a Deo mihi commiſſi negotiis mihi fuit vacuum & reliquum, tribuere *conſcribendis* his Diſputationibus, & explicandis certis Quæſtionibus, ex quarum explicatione, cum S. literis concordante, aliqua ad proximum utilitas redundatura viſa mihi fuit. Quis enim neget, ex genuina *primæ* Quæſtionis pertractione ſic infringi & abſtergi Papiſtarum calumniam, quam nobis hactenus intentare non ſunt veriti, *quaſi peccatum originale & actuale confunderemus*, ut jure illam repetere nequeant? Et quis eat inficias, hinc Pelagium & Pelagianos ſic retundi, ut Dicta ſacra, quæ tantum negant infantes, *qua tales*, eſſe peccatorum *prælectivorum* expertes, amplius producere nequeant contra Peccatum Originis? Pelagianos


moder-

moderños, Photinianos & alios, quid dicam? Certe ſolide ex hoc fundamento refelluntur: Si enim in infantibus ſunt primæ motiones malæ a peccato originis profectæ, & cum eo inſeparabiliter in hac miſera hominum vita connexæ, quæ *proprie dicta* ſint peccata; ut probavi; tum in infantibus eſt peccatum originis, quod peccatum ſit non tropice, ſed *proprie*. Illi enim motus primi vitioſi arguunt peccatum originis, ceu rivuli venenoſi fontem venenatum, & fructus mali arborem putrem, & effectiones cauſam. Taceo alia. Et quæ non fuit inter veteres & neotericos quoſdam pugna de *ſecunda* Quæſtione? Quam digladiati ſunt de vero & harmonico ſenſu Dictorum Exod. XX, *5. 6.* & Exech. XVIII, 4. &c. Porro quanto ſtudio *tertiæ* Quæſtionis negationem plerique Calviniani nituntur probare! Vident enim qui in illorum cætu ſunt cordatiores, quod ſi qui hominum impetratam fide ſuorum peccatorum remiſſionem poſſunt ſuis inſequentibus flagitiis ſibi irritam reddere; tum omnes hæ, & ſimiles ipſorum hypotheſes ſint falſiſſimæ: nempe quod *ſolis* abſolute electis hominibus *propria* ſit, 1) *divina gratia & miſericordia*, 2) *meritum Chriſti*, 3) *vocatio ſeria & efficax*, 4) *fides ſalvans*, 5) *remiſſio peccatorum*, & hujusmodi alia. Tu igitur, BENEVOLE LECTOR, Diſputationes has æqui bonique conſule, & monenda me libere mone, Deum

mecum

mecum aſſidue invocans, ut ſuam Eccleſiam, ſatis afflictam, velit, ut promiſit, clementer defendere, & adverſus hæreticos, & alios hoſtes, fortiter protegere, & tandem coronare & glorificare. Hiſce vale feliciter. Dabam Gieſſæ die XII. Martii anno MDCXVIII.

JVSTVS FEVRBORNIVS, D.



DISPV-

DISPVTATIO THEOLOGICA I
QVA
EX DEI VERBO EXPLICATVR
QVAESTIO:
AN IN INFANTES CADANT PECCATA ACTVALIA?
ET ANALOGÆ QVÆSTIONES CONCVRRENTES
SIMVL EVOLVVNTVR
CVJVS
SVBJECTA THEMATA
JEHOVA CLEMENTER AVXILIANTE
SVB PRÆSIDIO
JVSTI FEVRBORNII
S. S. THEOLOGIÆ DOCTORIS EJVSDEMQVE
PROFESSORIS, STIPENDIARIORVM EPHORI
ET ECCLESIASTÆ IN ACADEMIA
GIESSENA
RESPONDENDO DEFENDET
PVBLICE
RICHARDVS BENNICHIVS
HOLSATVS
IN AVDITORIO THEOLOGICO
DIE XXIX JAN. MDCXVIII



GIESSÆ ET LIPSIÆ
MDCCXLVI



DISPUTATIO THEOLOGICA I.

COMPLECTENS

EXPLICATIONEM QUAESTIONIS:

AN IN INFANTES CADANT PECCATA ACTUALIA?

THESIS I.



Fert animus, volente & juvante Deo, piam instituere συμφιλολογίαν de proposita quæstione: *An in infantes quadrent & cadant peccata actualia?* Animadverto enim, non omnium eandem hic sive esse, sive saltem videri sententiam: unde scrupulus nonnullis injicitur, quo molestantur: qui proinde semovendus est. Ne autem terminorum æquivocatio nobis imponat, *subjectum & prædicatum quæstionis* prius explicabo, & ab homonymia vindicabo, quam ad alia transeam.

2. *Subjectum* seu antecedens quæstionis membrum, sunt *infantes*, Græce, βρέφη. Βρέφος autem notat 1) *infantem*, adhuc in utero suæ matris latitantem: quemadmodum Johannes, adhuc delitescens in suæ matris utero, dicitur τὸ βρέφος *Luc. I, 41. & 44.* 2) significat *infantem*, in lucem editum: sicut natus mundi Salvator dicitur βρέφος *Luc. II, 12. & 16.* Et Hebræorum nati pueruli, dicuntur βρέφη *Act. VII, 19.*

3. In lucem autem editi infantes sunt aut *recenter*, nempe ante paucos dies vel septimanas, qui dicuntur ἀρτιγεννητα βρέφη, *1 Petr. II, 2.* ubi Petrus homines, spiritualiter renatos, monet, ut sint modo natis infantulis similes, quoad absentiam doli, & præ-

fractæ malignitatis: aut *non ita noviter;* sed ante annum unum, duos tresve. Nam *2 Maccab. VII, 29.* legimus, quod mater illa septem fratrum ad minimum filium natu dixerit: *Fili miserere mei, quæ in utero portavi te menses novem,* καὶ θηλάσασάν σε ἔτη τρία, *& lactavi te tres annos, &c.* Vnde liquet, quod θηλασμὸς, qui competit *infantibus*, olim vel triennium durarit.

4. In *utraque* acceptione vocem τῦ βρέφους hic accipimus. Non enim hic disceptamus duntaxat de infantibus vel recens, vel aliquanto diutius progenitis; verum etiam de ipsis, nondum natis, sed brevi nasciturís.

5. Quæras, cur tantum duas τῦ βρέφους significationes adduxerim, cum tamen & tertia supersit, quia βρέφος significet quoque puerum *natu grandiusculum, doctrinæque capacem,* ut PISCATOR excipit, in *Luc. XVIII, 15.* schol. 15. & probationis ergo citat. *2 Tim. III, 15.* R. ideo; quia de puero, usu rationis prædito, non est quæstio, *an ille actualiter peccet?* hoc enim per se clarum est: sed de *infante.*

6. Neque vero PISCATOR, cum suis sociis, ex citatis jam dictis probabit, quod τὸ βρέφος ibi notet *non infantem*, sed puerum grandiusculum. (usu rationis pollentem:) Nam *Luc. XVIII, 15.* dicuntur βρέφη, ad Christum apporrata: Et *v. 16.* nuncupantur παιδία pueruli. Ergo non fuerunt pueri grandes, διανοίας usum habentes: sed infantes; qui soli in N. T. appellantur βρέφη.

7. Nec dictum *2 Tim. III, 15.* PISCATORIS sententiam fulcit: Quia 1) ibi Paulus ἐν προσθήκῃ ait: ἀπὸ βρέφους, id est, *ab infantia,* ut reddiderunt AMBROS. CHRYSOST. & THEOPH. & Commentator in lib. 1. Damasceni de orthod. fid. *cap. 1.* Sicut igitur ἀπὸ βρέφους notat, *ab infantia:* ita βρέφος notat *infantem:* non vero hominem adultum, usu liberi arbitrii præditum. 2) Timotheus sacras novit literas ἀπὸ βρέφους seu ἐκ βρέφους; quia licet habuerit patrem græcum; tamen matrem habuit Judæam fidelem *Actor. XVI, 1.* Eunicam appellatam *2 Tim. I, 5.* aviamque Loidem ibid. a quibus *non heri aut nuper;* sed jam inde ab infantia divinas fuit edoctus literas. Timotheus ergo non demum tempore adolescentiæ suæ: sed cum adhuc parvulus seu puerulus fuit, in exercitiis pietatis cœpit informari. Nondum igitur PISCATOR

tertiam

tertiam τῦ βρέφυς acceptionem firmiter probavit: qua de re alibi.

8. Jam enim statim progrediar ad explicationem *prædicati*, seu consequentis in quæstione proposita partis; quæ sunt, *peccata actualia:* eaque sumuntur potissimum bifariam. 1) *latius & generalius* pro *quibusque actibus & motibus* ἀνόμοις & peccabilibus, nondum conjunctis cum pleno rationis usu, seu cum τῷ ἑκȣσίῳ καὶ προαιρέσει. Falsissima enim est hypothesis Papistarum & Photinianorum, *quod nihil habeat rationem peccati, nisi committatur a sciente & volente:* seu, ut loquitur SOCINVS in Prælect. c. 4. p. 10. *quod ad culpam constituendam propria voluntas ejus, qui in culpa futurus sit, requiratur omnino:* Seu, ut tradit AVGVSTIN. Lib. de vera religion. c. 14. Tom. 1. pag. 304. *quod omne peccatum usque adeo voluntarium sit malum, ut nullo modo sit peccatum, si non sit voluntarium.* Falsitatem hanc ostendit vel Paulus *Rom. VII, 15.* &c. & *1 Tim. I, 13.* & *Joh. I, cap. III, 4.* 2) *pressius & specialius* pro actionibus & operationibus, cum rationis usu præelectioneque & assensu connexis.

9. Quibus præmissis, duo adjungam theoremata, ejusque explicatis & comprobatis, quæstionem propositam explicabo & comprobabo. *Primum* Theorema sit tale: *In infantes, sive adhuc in utero matrum latentes, sive natos, & lac maternum sugentes, vere & proprie dicta cadunt peccata actualia, in* prima *significatione accepta.* Id quod probo his argumentis.

10. I. Peto *ab operosa peccati originalis qualitate*, & ita argumentor: In quibus hominibus est peccatum originale, in illis etiam *ad minimum* sunt peccata actualia, *late* dicta, hoc est, motiones pravæ, nondum ab usu rationis profectæ, nec cum eo connexæ. At in omnibus & singulis hominibus (excepto solo θεανθρώπῳ Christo, non virgine Maria, vel ullo alio homine) est peccatum originale. E.

11. *Propositio* probatur; Quia *peccatum originis* non est otiosa qualitas, nec fomes ἀεργὸς & torpidus, sed malum operosum, & venenum vividum; seu fons pessimus, unde mali fluunt rivuli. Quando igitur peccatum originis non sibi juncta habet delicta actualia προαιρετικὰ (ut in renatis, qua tales sunt & manent)

manent) tum *saltem* motus habet ἀνόμως, licet ἀπροαιρέτως: Siquidem *Genes. VI, 5.* dicitur Jehova vidisse, quod omne figmentum וְיֵצֶר iézer, cogitationum ejus (hominis) *tantum* malum (sit) *omni die.* Et *Gen. VIII, 21.* perhibetur non amplius diluvio mundum visitaturus, *quia figmentum cordis hominis sit malum ab infantia ejus.*

12. Vbi Deus sibi *contrarius* non est, quasi *Gen. VI, 5.* peccatum alleget, ut causam, mundo immittendi pœnam; *Gen. VIII,* vero idem peccatum adducat, ut causam, ob quam mundo parcendum, & ejus miserendum sit. Nam *ibi* Deus loquitur, *ut iratus Judex: hic* ut *reconciliatus pater*, per odorem suavitatis, in respectu ad sacrificium filii sui, in plenitudine temporis immolandi, quem Noah fide fuit amplexus, *Hebr. XI, 7. Ibi* loquitur de peccato originali, exasperato imprimis & aggravato per actualia præelectiva primi mundi horrenda flagitia, ut constat ex *Genes. VI, 2-5. Hic* vero differit de peccato originali, conjuncto cum suis primis motibus difformibus, & complicato cum profundissima hominis miseria & infirmitate, qua motus Deus, ceu causa προκαταρκτικῇ externa, miseretur hominis.

13. Itaque peccatum *Gen. VIII, 21,* allegatur non ut principium, *misericordiam Dei promerens:* iram enim meretur & vindictam: *sed misericordiæ*, in Christo fundatæ, *indigentiam nostram exponens;* sumus enim ob peccatum miserrime facti: Quemadmodum & alias *peccatum, ejusque confessio, adducitur, non ut causa, per & propter quam homo clementiam Dei promereatur: sed ut medium, per quod hominis miseria propter quam clementia Dei necessaria ipsi sit, exponatur.* Vide *Ps. XL, 13. 14. & LI, 4. 5. & CII, 13. 14 Jer. XIV, 7. & 1 Paral. XXII, 8.* & passim. Quod contra Photinianos hic est accurate notandum.

14. Si quis hic nolit acquiescere, reponam ei verba D. LVTHERI, qui in *Gen. VIII, p. 402. edit. in 8.* inquit: *Porro hic etiam inconstantiæ videtur Deus accusari posse. Supra puniturus hominem, causam consilii dicit:* Quia figmentum cordis humani malum est. *Hic promissurus homini gratiam, quod posthac tali ira uti nolit, eandem causam allegat.* Homini igitur sapienti stulta hæc videntur, & neutiquam convenire divinæ sapientiæ. *Sed*

ego

ergo sublimia libenter vito, & relinquo ea otiosis Spiritibus: Itaque mihi satis est, quod hæc dicuntur *pro nostro affectu*, ut scilicet Deus ostendat, *se jam placatum esse, & non amplius irasci.* Nam ita parentes quoque solent, postquam promerito flagellarunt inobedientes liberos, tandem blanditiis eos iterum quasi conciliant sibi. Hæc inconstantia non solum reprehendi non meretur, sed laudanda est. Prodest enim pueris, ne dum virgam metuunt, etiam parentes odisse incipiant. *Hæc solutio mihi satis est, invitat enim nos ad fidem.* Alii alia afferre possunt. *Hæc* LVTHERVS.

15. Iam ergo pro *Propositione* probanda argumentor: Si figmentum cogitationum cordis humani non solummodo *vere* sed etiam *tantum* malum est, non duntaxat diebus ætatis *senilis, virilis, juvenilis*, & *puerilis:* sed etiam omnibus diebus *infantiæ* hominis; ergo peccatum originale non separatum est *tempore infantilis ætatis*, a motionibus & fictionibus seu formationibus, peccabilibus: Ratio est; quia alias ipsum figmentum non *tantum* esset malum omnibus diebus infantiæ; siquidem foret *etiam* bonum; scilicet tum, quando malum esset abs illo sequestratum: At prius est.

16. Frustra namque quis objiciat, in Hebræo textu *Genes. VIII, 21.* legi מִנְּעֻרָיו, *minneyraif*, ab adolescentiis (ut ita latine liceat loqui) ejus. נְעוּרִים, *neurim*, vero notare *non tempora infantiæ*, sed *adolescentiæ:* sicut vox נַעַר, *náar*, significet non *infantem*, sed *juvenem: Vana, inquam*, hæc est objectio: siquidem vox, *náar*, non tantummodo designat adolescentem; sed etiam infantem: Quoniam infans Moises dicitur *náar*, *Exod. II, 6.* ut & infans Samson *Jud. XIII, 5.* Recte ergo ex HIERON. Quæstionibus in Genesin, inquit FLACIVS part. 2. Clav. p. 186. *Secundum Hebræorum idioma*, infans *vocatur omnis filius ad comparationem parentum.* Hæc ille. Sic *1 Reg. XVIII, 12.* Abdias dicit ad Eliam: Servus tuus timet Dominum מִנְּעֻרָיו *minneyraif*, ubi non excludit tempora infantiæ suæ.

17. Sic quamvis non simpliciter inficiemur, vocem, *neurim* significare eam etiam ætatem, qua homo incipit ratione uti, quod fere fit anno sexto, ut ait D. LVTHERVS in *Gen. VIII, p. 407.* imo ipsam etiam *juventutem*; non tamen asserere recte scimus,

quod

quod *Gen. VIII, 21.* vox, *neurim*, non significet *infantiam:* Siquidem, ut jam probabo, loquitur ibi Jehova de peccato etiam originali, qui polluitur homo non demum anno vel sexto, vel sequentibus; sed in ipsa conceptione *Ps. LI,* & in ipso matris utero *Ps. LVIII, 4.* & *Es. XLVIII, 8.* Vnde non solum *adulti*, sed etiam *infantes* sunt morti, quæ *peccati* pœna est, obnoxii *Rom. V, 14.* tum in utero matrum, tum extra eum, postquam geniti sunt, teste experientia. *Rursus*, Deus *Gen. VI, 5.* & *VIII, 21.* de illo quoque loquitur peccato, quod est in homine *omni die*, id est, *continue & omni tempore.* Non igitur *tempus infantiæ* hic excludit.

18. Objicias, Moisen per *figmentum cogitationum cordis humani* intelligere id, *quod homo potest in suis cogitationibus, seu cum ratione & libero arbitrio, etiam in summo gradu, & quod summo studio excogitat, diligit, facit, sicut figulus, & putat pulcherrimum esse.* At tale figmentum non quadrare in infantiam. E. R. Licet cum Dn. LVTHERO in *Gen. p. 337. & 400.* concedamus, quod *iézer* hic significet industriam, sapientiam, rationem humanam, cum omnibus viribus, quibus etiam in optimis actionibus ratio utitur: non tamen vel ille, vel nos simpliciter imus inficias, in dictis Mosis modo allegatis, *infantiam* hominis etiam intelligi, neque hinc statim concludi potest: Quin potius cum LVTHERO *pag. 400.* dicere libet: *Hic est insignis locus de peccato originali, quod qui extenuant, hi profecto, sicut cæci in sole, errant, & quæ quotidie agunt, & experiuntur, non vident.* Nam *incunabula nostra* inspice, quam varie in *prima ætate* se prodit peccatum! Hæc D. LVTHERVS. Licet igitur per vocabulum, *iézer*, respectu *adultorum*, hic etiam notetur figmentum cordis humani, cum rationis usu connexum: tamen respectu *infantium*, connotatur fictio & motio cordis, cum plena liberi arbitrii usurpatione nondum conjuncta. Figmentum hoc & in *illis*, & in *his* duntaxat est malum, *si attendatur naturalis pravitas cordis humani.* Tantum de probatione *propositionis*

19. *Assumptio* probatur 1) ex citatis dictis *Gen. VI, 5. & VIII, 21.* junctim sumptis: qui loco quamvis sat evidentes sint; tamen quia Papista PIGHIVS, & imitatores ejus (in his dictis pervertendis) Photiniani negant, hic *etiam* agi de peccato originali, negationem

illam

illam falsitatis convincam, sic argumentando: De illo *etiam* peccato Deus in citatis locis loquitur, quod 1) est *in omnibus & singulis hominibus; Generis* n. vocabulo utitur Deus, & dicit: Cor *hominis* tale esse. Erant autem tum (post diluvium) homines non alii, quam qui in arca servati erant. Et tamen dicit: Figmentum cordis humani esse malum. Ergo non excipiuntur hic ne sancti quidem. Conf. D. LVTHER. in *c. VIII. Genes. p. 401.* 2) quod *in specie* perhibetur fuisse etiam in Noacho credente, ejusque sociis: siquidem post diluvium, non superstites fuerunt alii homines, quam Noachus cum suis, *Genes. VII, 21. 22.* Et tamen Deus *cap. VIII, 21.* pronunciat, quod figmentum cordis humani (etiam Noachi, & sociorum ipsius, quippe qui post diluvium residui fuerunt, nec ab isto peccato excipiuntur) sit malum ab infantia hominis. 3) quod est in homine omnibus diebus etiam *infantiæ*, ut constat ex ipsa litera.

20. At non malitiosa primi mundi contumacia, sed peccatum originale, cum suis primis motionibus vitiosis, est 1) in omnibus & singulis hominibus, ut per se liquet. 2) nec obstinata delinquendi libido, & delicta præelectiva, seu ἀῤῥητȣργίαι Cainiticæ, sed concupiscentia prava hæreditaria, quæ est malum κακοποιόν, fuit in Noacho credente, ipsiusque sociis: quia salvifice credentes, *qua tales*, non malitiose delinquunt: quandoquidem malitiose delinquentes excluduntur e regno cœlorum, *Gal. V, 19-21.* At vere fideles, qua tales, non excluduntur e regno cœlorum, *Jo. III, 16. 18.* E. 3) nec *flagitia præelectiva*, sed peccatum originale est in homine ab ipsa statim infantia, ut abunde patet.

21. Sicut igitur hic *per oppositionem* minime fas est concludere ita: *Gen. VI. & VIII. capp.* agitur de peccato *originali.* E. non simul de *actuali:* ita quoque per turpem oppositorum Elenchum Photiniani sic argutantur: *Gen. VI. & VIII. capp.* agitur de peccato *actuali.* E. non simul de *originali.* De *utroque* enim peccato simul ibi agitur; sicut jam liquet.

22. Hinc itaque *assumptionem* dati syllogismi sic probo: Figmentum cordis humani duntaxat malum est *ab infantia,* non vero tantum a *pueritia*, ab *adolescentia*, a *juventute* hominis. E. etiam *infantes* polluti sunt peccato originis, non ἀεργῷ, sed καρσεργῷ, quantum esse potest in infantibus.

23. Absurdus enim est SOCINUS, qui in *Prælect. c. 4. p. 12.* asserit, Deum hic non docere, quod figmentum cordis humani sit malum *ab infantia:* sed, *si sit*, id *tantam* vim non habiturum apud ipsum, *quam antea habuerit.* Quæ est pessima verborum Dei depravatio, pugnans cum lege divina, *juxta cujus censuram*, peccatum retinet suam vim & ἐνέργειαν. Et Deus non *conditionaliter*, sed *simpliciter* asserit, *figmentum cordis humani esse malum ab infantia.* Quod autem Deus in illud non semper animadvertit, id vero inde est, quod multi homines salutarem agunt pœnitentiam, & in Christo mediatore & redemptore (cujus λύτρον & satisfactionem pro nostris peccatis, Photiniani pessime negant) suam ponunt fiduciam, exemplum Noachi imitantes. Hæc de *prima* assumptionis probatione.

24. II. Assumptionem propositi syllogismi demonstratio ex *Ps. LI, 7.* Enthymema esto tale: David vere & proprie scribit, quod in iniquitate sit formatus, quodque mater ipsum in peccato foverit seu calefecerit, & calefaciendo conceperit; quemadmodum verbum חָמָה, *chamáh*, (quod analogiam habet cum יָחַם, *iachám*,) etiam usurpatur *Gen. XXX, 39.* E. omnes homines, *cum a Christo solummodo discessero*, concipiuntur in peccato originali, seu malo naturali. Quamvis enim vulgata versio *Psal. LI*, *pluraliter* loquatur: *in iniquitatibus;* proindeque *August. in Enchirid. ad Laurent. c. 44. p. 75. tom. 3.* & *Lombard. lib. 2. sentent. dist. 33. lit. e.* ad hoc Davidis dictum applicarint hanc regulam: *Mos Scripturæ est, ut res* una *quandoque* pluraliter *efferatur:* tamen textus hebræus, qui norma est articulorum fidei *in libris Propheticis*, loquitur *singulariter.* Regula igitur ista alibi habet locum, ut & *Exod. XXXII, 1. 4. 31.*

25. *Antecedens* Enthymematis contra Photinianos, *hyperbolen* hic a Davide adhibitam esse comminiscentes; quasi peccatum homini res quædam plane naturalis sit; *non autem, quod ita sit revera:* qualis figuratus & hyperbolicus loquendi modus etiam fit *Ps. LVIII, 4.* & *Es. XLVIII, 8.* *Antecedens*, inquam, probo. Photiniana namque hic efficta hyperbole non potest stare; Quia 1) non recedendum est prius a litera, quam Spiritus S. inde deflectat. At Spiritus S. hic non recedit a litera; quia nulla tropi monstrat

monstrat vestigia. 2) Hyperbole ista pugnat cum scopo Davidis, qui hic est. Precatur ille Deum, ut ipsum abluat multum ab iniquitate, & a peccato mundet, *v. 3.* hoc est, ut omnia & singula peccata, *proprie vereque dicta*, ipsi remittat. Non enim rogat Deum peccatorum veniam, *quæ revera peccata non sint.* Argumento, inter alia, hoc etiam utitur; *quia sit in peccato conceptus & natus.* Finge jam, hic esse hyperbolen Photinianam, & sustulisti nervum argumenti Davidici. Siquidem ista hyperbole peccati, in ipsa infantis conceptione & generatione obvii, & infantem inhabitantis, tollit ἀλήθειαν. 3) Pugnat etiam cum enumeratione, confessione & deploratione peccatorum Davidis. Non enim tantum enumerat, confitetur & deplorat peccata sua actualia præelectiva, ut adulterium, homicidium &c. sed etiam id peccatum, quod tum in ipsa conceptione, tum in ipsa generatione ipsum occupavit. Sicut igitur David peccata actualia vere & proprie intelligit; ita & peccatum originale; quia nuspiam Deo confitetur peccatum *fictum & figuratum.*

26. Quod igitur attinet *Ps. LVIII, 4.* & *Es. XLVIII, 8.* Resp. 1) *ex hypothesi*, si vel maxime ibi esset figuratus & hyperbolicus sermo; an statim sequeretur, quod propterea *Ps. LI, 7.* etiam talis tropicus esset sermo? Nonne hoc est fallere & falli *particularitatis & paritatis* elencho? 2) Non est *hyperbole* in locis citatis; sed Deus vere & proprie ibi describit hominum malorum vitium *etiam* originale, per terminos, operationem alias notantes (quem Hebraismum Paulus etiam imitatur *Rom. V, 12.*) ostenditque, quale & quantum illud sit malum, & quam enormiter impii isti peccent, ut postea plenius dicam.

27. *Consequentiam* porro Enthymematis jam ostendo. Excipit enim SOCINUS in *Prælect. cap. 4. p. 13.* quod David *non de homine, sed de seipso tantum* loquatur. Proindeque vult concludere, quod licet David conceptus & natus fuerit in peccato & pravitate naturali; non tamen continuo sequatur, omnes & singulos homines *natura* pollutos esse peccato. Resp. evidentem ille committit elenchum *confusionis* attributi *communis* & *singularis.* Non equidem a positione attributi *singularis*, seu huic aut illi *duntaxat individuo* competentis, valet collectio ad positionem

 attri-

attributi *communis* seu *generici*. (E. g. non valet: Judas prodidit Christum. E. omnes & singuli homines Christum prodiderunt: quia *τὸ prodidisse Christum*, non est attributum, cunctis hominibus commune) veruntamen ab attributo *communi*, uni *individuo*, alicubi in sacris literis adscripto, valet processus ad affirmationem *generis*.

28. Quia igitur pravitas originalis, est adjunctum non *solius* Davidis; sed omnium hominum, ex concubitu maris & fœminæ progenitorum, fatente DAVIDE, *Ps. XIV*, *1-3*. & exinde afferente PAVLO, *Rom. III*, *12. 23*. & uberius exponente *Rom. V*, *12. &c.* & *Eph II*, *3*. ideo valet argumentatio: *David est in peccato conceptus & natus*. E. *& omnes homines*, *secundum consuetum naturæ ordinem geniti*, *in peccato isto originali concipiuntur & gignuntur*.

29. Quemadmodum & PAVLI conclusio recta est: Abraham credendo justificatus est. E. Omnes homines credendo justificantur. *Rom. IV*, *1. &c.* & *Gal. III*, *6-9*. Ratio est; quia vere & fiducialiter credendo in Christum, justificari, non est adjunctum, soli Abrahamo proprium, *Act. X*, *43*. *& XV*, *11*. sed omnibus vere credentibus commune. *Gal. III*, *9. 14. 29*. Hæc itaque dicta sint de primo nostro syllogismo principali.

30. Qui hic est: *Quicunque est contaminatus labe peccati originalis*, *ille quoque conspurcatus est*, *si non statim peccatis actualibus* voluntariis, *saltem* (ad minimum) *involuntariis*; quæ dicuntur *primi motus & impetus vitii naturalis*, ab eoque per naturam in hac vita sunt inseparabiles; Quippe qui sive ad *quidditatem* peccati originalis pertinent: sive *ut effectus proprii* ab ipso emanant in hominibus, hic viventibus. Non enim odiose certabimus de *modo loquendi*, si *res* ipsæ sint salvæ. *At omnis infans*, dempto solo Christo, *est contaminatus labe peccati originalis*; ut paucis planum feci, suo loco & tempore planius & plenius id expositurus. E. *omnis infans*, excepto solo Christo, *ad minimum motibus primis ingeniti vitii difformibus*, est iniquinatus: qui motus sunt vere peccabiles; quia sunt ἄνομοι, sine ulla tropologia.

31. Ex quo syllogismo fluunt certa πορίσματα: 1) *Peccatum originale non esse torpidam qualitatem*, *nec malum otiosum*, *sed valde operosum*. 2) *Primos istos originalis concupiscentiæ pravæ*

motus

motus peccabiles ἀπροαιρέτους inseparabiliter pertinere ad peccatum originale; προαιρετοὺς vero ad peccatum actuale, exquisite dictum. 3) BELLARMINVM *lib. 5. de amiss. grat. & statu peccati c. 4. sycophantari, quando scribit,* LVTHERVM, PHILIPPVM & CHEMNITIVM *peccatum originis non distinguere a peccato actuali.*

32. Quod est aperte falsum. Quando namque prædicti Theologi dixerunt, eorumque discipuli dicunt, peccatum originis esse activum, seu fomitem non torpidum, sed καροποιόν; tum peccatum *originale* non confundunt cum *actuali*, presse sic dicto; sed 1) refutant Scholasticos, (eorumque imitatores) qui peccatum originale dixerunt torpidam qualitatem. 2) Vitium hoc vocarunt & vocant peccatum actuale, non quod sit actio aliqua (scilicet προαιρετική) sed quod sit actualis & vera pronitas, sive morbus & defectus reipsa atque actu in homine existens, & non mera negatio, aut relatio, ut tandem ait & fatetur ipse BELLARM. *cit. loc.* 3) descripserunt & describunt his terminus ipsam, ut ita loquar, peccati originalis vivacitatem & ἐνεργουμένην ejus qualitatem. 4) opposuerunt & opponunt τὸ *activum* illi, quod est *mere-potentiale* & ἀεργόν.

33. 4) *In specie luculentam insuper* D. CHEMNITIO *fecisse injuriam* BELLARMINVM, *dum ibid. asserit, quod ipse cogitationem, etiam deliberatione confirmatam, aperte ad peccatum originis retulerit in part. 1. Exam. Concil. Trident.* At hoc etiam evidenter falsum est. Licet enim CHEMNITIVS, in explicatione vocis, *iézer*, ex *Es. XXVI, 2.* asseverarit, quod etiam cogitatio, quæ deliberatione confirmata est, sic vocetur: non tamen docet, quod talis cogitatio sit ipsum peccatum originis; sed contra ANDRADIVM probat, quod Gen. VI. & VIII. capp. *iézer*, non significet duntaxat propensionem seu concupiscentiam ad peccandum, quæ mala dicatur non per se, sed ideo tantum, quia ad malum propendeat & inclinet. Vide ibi ipsum D. CHEMNITIVM, qui etiam in *parte 1. L. C. c. 8. de peccatis actualibus memb. 3.* inquit: *Observetur, cogitationes aliquando pertinere ad peccatum originale, ut cum tantum sunt suggestiones; aliquando ad peccatum actuale, quando scilicet significant deliberationem seu propositum.* Hæc ille, unde falsiloquium BELLARMINI satis aperte elucet. Conferatur *Apologia Aug. Confess. art. 2.*

34. Quibus quasi in transcursu positis consectariis; jam argumentum II. adduco, sumptum *a specieb. peccati activi, seu actualis, laxe dicti.* Syllogismus esto talis. In quos infantes cadunt species peccati activi, in illos cadit peccatum actuale, late acceptum; quia affirmatis speciebus, genus non negandum, sed affirmandum est. Atqui in infantes cadunt species peccati activi. E.

35. Ass. probo ad inductione; Quia 1) *ira rancida cadit in infantes. Aug. Tom. 1. lib. 1. confess. c. 2. p. 30.* inquit: Imbecillitas membrorum infantilium innocens est, *non animus infantium.* Vidi ego & expertus sum zelantem parvulum: nondum loquebatur, & intuebatur pallidus amaro aspectu collectaneum suum: certe ejusmodi pravitas non est aliunde, nisi a malo isto, quod manet post baptismum reliquum. *Hæc ille.* Et PICCOL. *grad. 1. c. 31.* pueris ante usum rationis etiam iram tribuit. 2) *Peccata omissionis inaffectata*, h. e. cum deliberatione nondum conjuncta, *sunt in infantibus.* Turpiter enim errat BELLARM. *l. 5. de amiss. grat. & statu peccat. c. 4.* scribens, *quod absurdissimum sit, infantes habere peccatum actuale, saltem omissionis: siquidem*, ut paulo ante dixerat, *infantes non teneantur fidem & timorem Dei actu habere, cum isti actus rationis usum requirant, quo infantes careant.*

36. Cui resp. 1) esse per se perspicuum, quod infantes nunquam vel nondum circumcisi in Vet. Test. & nunquam vel nondum baptizati in N. Test. non habeant (si ordinem a Deo nobis præscriptum respiciamus) fidem & dilectionem Dei, imo nullum motum *spiritualiter* bonum; quia non habent Spiritum S. in ipsis gratiose habitantem: utpote quem per Sacramentum initiationis demum accipiunt. Vbi si cum Papistis objicias, quod sine metu & dilectione Dei, & sine fide esse, *culpa sit actualis.* Ideoque non pertineat ad peccatum originale. Resp. distinguendo inter carentiam *potentiæ* confidendi Deo, eumque filialiter diligendi, timendi, colendi, & inter carentiam ipsius *actus.* Illa pertinet ad quidditatem peccati originalis; hæc vero (actus carentia) pertinet ad peccatum actuale, stricte dictum, si scilicet sit vacuitas & absentia actus *præelectivi;* si vero est, omissio & privatio actus filialiter timendi, & colendi Deum religiose, *sine connotatione* adjunctæ προαιρέσεως, tum etiam hæc στέρησις spectat aut ad ipsius peccati origi-

originalis quidditatem, aut ſaltem ad primos ipſius fructus & effectus interiores.

37. Reſp. 2) Non eſſe abſurdum, ſed verum, quod infantes habeant peccata omiſſionis *actualia*, laxe ſic dicta; ut per ſe liquidum eſt in infantibus, vel extra Eccleſiæ pomœria conſtitutis, vel Chriſto per Sacramentum initiationis nondum inſertis. Quando vero infantes per initiationis Sacramentum in fœdus gratiæ Dei ſunt recepti, tum necdum faciunt, ſed negligunt omittuntque multa, quæ lex ab ipſis poſcit. An enim diligunt Deum ex toto corde, tota anima, & omnibus viribus? Minime. Atque iſtud flagitat lex ab omnibus & ſingulis hominibus, ſine exceptione infantum. Decalogus enim obligat non tantum adultos, ſed & infantes: ſicut etiam lex naturalis eis competit.

38. Reſp. 3) Falſum eſſe, quod infantes fidem & timorem Dei actu habere *non teneantur*. Nam aut infantes obligat primum præceptum, aut non. *Poſterius* eſt falſum; quia vel maxime primum præceptum obſtringit omnes omnino homines; adeoque *ſine exceptione infantum*, PAVLVS dicit *1 Cor. XVI, 21.* ſi quis non diligit Dominum Jeſum Chriſtum, ſit anathema, maran atha. E. *prius* eſt verum, ſi *hoc*. E. infantes obligati ſunt ad diligendum & timendum Deum.

39. Reſp. 4) Rurſus falſum eſt, *indiſtincte loquendo*, quod actus fidendi Deo, eumque timendi, requirant uſum rationis. Nam 1) infantes per Sacramenta Deo inſerti, ſalvifice credunt, ut alibi probavimus: neque tamen infantes uſu rationis pollent. 2) ſunt multi adulti credentes, qui quandoque patiuntur ἔκστασιν, quam GALENVS vocat ὀλιγοχρόνιον μανίαν. Neque tamen in illo morbo deperdunt & amittunt fiduciam cordis. 3) Vſus rationis non eſt cauſa vel procreans, vel conſervans fidei juſtificantis: ſed Spiritus S. per verbum & Sacramenta. Cum itaque infantes per Sacramentum initiationis adipiſcuntur Spiritum S. ſimul quoque fiunt κοινωνοὶ fidei juſtificantis; utpote per quam habitat Chriſtus (& Spiritus S.) in cordibus noſtris; *Eph. III, 17.* Quæ cum ita ſint, concludimus, quod infantes habeant peccata omiſſionis actualia, laxe dicta.

40. Sed hic objicias, omiſſionem actionis, non eſſe actionem, ſed ejus intermiſſionem. Quare ex omiſſione actionis non poſſe

posse probari, actionem competere infantibus. Resp. omissio actionis, non est actio, scilicet *omissa.* Interim ipsa omissio est actio. Quod illustrari potest 1) *ab exemplo imaginis Divinæ;* quippe quæ ante lapsum non duntaxat complectebatur veræ justitiæ & sanctitatis θέσιν, *Eph. IV, 24.* sed etiam omnis vitiositatis & corruptionis ἄρσιν, *Sap. II, 23.* Et illa per lapsum amissa, non tantum integritas naturæ, & perfecta totius hominis, omniumque ejus actionum cum Dei voluntate congruentia est sublata; verum etiam misera totius humanæ naturæ corruptio & depravatio est insecuta: quandoquidem Paulus peccatum originale non tantum describit στερητικῶς, *Rom. III, 23.* verum etiam θετικῶς, *Rom. V, 6. 8. 10. 12. 18.* & passim.

41. 2) Declarari potest *a natura & proprietate Decalogi;* utpote qui poscit *tum* plenam naturæ humanæ integritatem, & perfectissimam obedientiæ præstationem; *tum* omnimodam vitiositatis naturæ absentiam, & vitiorum pravarumque operationum fugam. Sola integritatis naturæ & virtutum bonarumque actionum præsentia, non implet legem, *si peccata non etiam vitentur:* & *sola* vitiorum pravarumque operationum intermissio non satisfacit legi, *si naturæ sanctitas, virtutesque & plene bona opera non etiam adsint:* siquidem lex non solummodo *præcipit bona;* sed & simul *interdicit mala:* vid. *Ps. XXXIV, 15. & XXXVII, 27. Jer. XVIII, 11. Amos V, 5. 6.*

42. Sicut igitur & *absentia* bonitatis & sanctitatis naturæ hominis, ejusque cogitatorum, dictorum & factorum, ad peccabilem hominis imaginem, quæ prævaricationem protoplastωn insecuta est, pertinet: *& carentia* sanctitatis bonarumque actionum hominis, est *etiam* peccatum contra legem: ita etiam *omissio bonæ actionis* est *actio vitiosa:* sicut *intermissio malæ actionis* est *actio bona:* imo in genere *privatio operæ, est actio animi.* Quod etiam docet SCALIGER *Exerc. 315.* Vnde non tantum Deus illis pœnas minatur & infligit, qui *mala patrant, Matth. VII, 23. & XIII, 41.* sed etiam illis, qui *bona intermittunt, Matth. VII, 19. Luc. XIII, 7. & Jac. IV, 17.*

43. Quia itaque infantes, quantumvis etiam baptizati, non præstant *plene*, quæ lex ab ipsis postulat; Nam & justus peccat septies, *Prov. XXIV, 16.* & in multis labimur omnes, *Jac. III, 2.* Et nullus est homo, qui non peccet, *1 Reg. VIII, 46.* propterea committunt

mittunt illi peccata omissionis, *uti dicuntur*, licet sine prælectione & consultatione. *Bona vero opera non facta sunt male facta.* Hæc de secundo argumento.

44. III. sumo ex *Psal. LVIII, 4. & Esa. XLVII, 8.* David inquit: Alienati sunt impii מֵרָחֶם a vulva, sive ab utero, id est, in utero matris (per metonymiam subjecti hyperbolicam inquit PISCATOR, in hyperbole ponenda, hic a Photinianis non longe abiens: cum tamen ibi non sit hyperbolicus sermo, sed verus & proprius, describens granditatem & profunditatem peccati originalis) erraverunt מִבֶּטֶן id est, ab utero, &c. Notandum hic מֵרָחֶם, seu (extra pausam) מֵרֶחֶם significare non tantum, *inde a primo nativitatis initio;* sed etiam *in matrice matris:* vide *Jer. XX, 17.* sic מִבֶּטֶן quoque idem notat: vide *Ps. XXII, 10. 11. & LXXI, 6. Judic. XIII, 5, 7. & XVI, 17. Esa. XLIV, 2. & XLIX, 1. Hos. IX, 11.* Quem loquendi modum observat Spiritus S. etiam in N. T. *Luc. I, 15. Act. III, 2. & XIV, 8. & Gal. I, 15.* Hinc itaque argumentor: Qui proprie alienatus est, seu qui se alienavit a Deo in vulva matris suæ, & a primo exinde egressu, & ab utero erravit, is jam inde in prima infantia, imo in utero matris proprie habuit peccatum non otiosum, sed ex natura sui operosum; quia peccatum *proprie dictum*, separat incredulos a Deo, *Es. LIX, 2.* & vera deviatio a tramite rectitudinis est *ἀνομία proprie dicta.* Et terminis, actum notantibus, hic effertur peccatum originis, non duntaxat ex linguæ Hebrææ idiotismo: sed etiam propterea, ut indoles vitii illius nativi efficax, & quasi agilis seu *motrix* exprimatur. At peccatores *proprie* (nulla namque tropi indicia Spiritus S. hic ponit) alienati sunt a Deo, in vulva &c. E. AUG. T. VII. super hunc Psalmum p. 231. ait: *a vulva,* i. e. *ab ipsa origine, alienati sunt peccatores. Vnde alienati? a veritate. Vnde alienati? a patria beata, a vita beata &c.*

45. Porro *Es. XLVIII, 8.* inquit Jehova: *Nam novi te prævaricando prævaricaturum esse, & transgressorem* (defectorem) *inde a ventre te vocatum a me.* Quibus verbis Jehova respicit ad antecedentia, quibus populum de rebus istis futuris præmonuerat, rationem præmonitionis & prædictionis suæ reddens hanc, quia sibi perspectissima sit populi pravitas non tantum actualis, sed etiam originalis. Vocat enim transgressorem seu defectorem popu-

lum *ex utero.* Jam vero populus non *a prima sui conceptione* & nativitate est *malitiosus* Dei desertor; quia ad hanc malitiosam ἀποστασίαν requiritur προαίρεσις voluntaria. E. populus est defector & transgressor ab utero respectu pravitatis ingenitæ, cumque suis motibus vitiosis connexæ, & in annis sequentibus criminibus atrocibus exasperatæ: sicut catuli luporum etsi nondum a se raptas & dilaceratas oves devorent: tamen in natura sua habent ingenitam propensionem & inclinationem ad eas dilacerandum & vorandum; quæ etiam naturalis rapacitas in illis non est prorsus otiosa, sed suos sibi congruentes habet motus, qui cum annis incrementa sumunt. Vnde tamen concludo, quod peccata actualia sint in infantibus, late sumpta.

46. Quemadmodum enim in infantibus baptizatis, & per baptismum fide justificante donatis, sunt bona opera, a Spiritus S. inhabitantis gratia accensa: ita in iisdem sunt mala opera, a peccato originali, post baptismum reliquo, profecta. At bona opera, quæ ab infantibus baptizatis præstantur, *non prorsus similiter* se habent ad bona opera *adultorum* hominum credentium; siquidem horum bona opera constant 1) notitia magis evoluta & distincta, quam qualis est in infantibus baptizatis; hi enim etsi *vere credunt;* nondum tamen externam etiam habent cognitionem indigi proximi. 2) Adultorum opera habent plerumque annexam sibi propriam βέλησιν καὶ προαίρεσιν, infantum vero nunquam. 3) Adultorum opera tendunt etiam ad proximum: sed infantum, qua talium, fides nondum est per charitatem erga proximum efficax.

47. Nec est, ut hic dicas, peccatum originale per baptismum ex infantibus baptizatis prorsus extirpari: E. ab illo non posse produci pravas in infantibus actiones. Licet enim illud infantibus baptizatis vere remittatur; non tamen ex illis eradicatur, nec annihilatur; sed reatus hominibus baptizatis condonatur. Seu, ut loquar cum Jure Canon. de Consecrat. dist. 4. c. 2. in baptismate concupiscentia exstinguitur, non ut non sit, sed ut non obsit. Vbi etiam ex AVGVST. *l. 1. de peccat. merit. & remiss. seu de baptismo parvul. c. 39. tom. 7. p. 291.* citantur hæc ejus verba: Per baptismum Christi id agitur, ut evacuetur caro peccati. Evacuatur autem, non ut in ipsa vivente carne concupiscentia conspersa & innata repente absumatur, & non sit; sed ne obsit mortuo, quæ

oberat

oberat nato &c. Atque hæc ſunt argumenta, quibus *primum* noſtrum theorema voluimus ſtabilire.

48. *Theorema ſecundum* ſit hujuſmodi: *In infantes, ſive in utero matrum etiamnum concluſos, ſive in lucem editos, nondum cadunt peccata actualia, preſſe dicta, h.e. præelectiva, & voluntaria.* Idque probo 1) a negatione βουλήσεως καὶ προαιρέσεως in infantibus. Vbi enim nondum eſt βούλησις, nec βούλευσις, nec προαίρεσις, ibi nondum ſunt actus conſulti, voliti & præelecti. Tolle enim cauſam, & tollenda eſt ejus ἐνέργεια. At in infantibus, qua talibus, nondum eſt βούλησις, nec βούλευσις, nec προαίρεσις. Vide *Deut. I, 39. Eſ. VII, 16. Jon. IV, 11. & Heb. V, 14.* AVGVST. *tom. 5. lib. 12. de Civ. Dei c. 24. p. 306.* ſcribit, quae ratio & intelligentia in infante ſopita ſit quodammodo, quaſi nulla ſit &c. E.

49. Male hinc cum Pelagianis & Anabaptiſtis quis attentabit pugnare contra peccatum originis; quippe quod per unum hominem in mundum intravit, *Rom. V, 12.* &c. ita ut omnes ſi non in infantili ætate ἔθει καὶ μιμήσει; ſaltem τῇ φύσει ſimus filii iræ, *Eph. II, 3.* peccatumque in nobis habitet, *Rom. VII, 17. 20.* nobisque adjunctum ſit, *v. 21.* & nos captivos reddat, *v. 23.* quia eſt εὐπερίστατος ἁμαρτία, *Heb. XII, 1.* Non igitur citata dicta (theſ. 48.) peccatum originis deſtruunt, ſed adſtruunt, infantes nondum habere notitiam boni & mali, proindeque ab ipſis *ſcientibus & volentibus* nondum peccari.

50. Quod AVGVST. *tom 7. lib. 1. de peccat. merit. & remiſſ. c. 17. p. 281. & c. 35. p. 291. & lib. 21. de Civit. Dei c. 16. tom. 5. p. 284.* Et in *Enchirid. ad Laurent. c. 99.* luculente docet, & nos cum illo. Licet autem negemus infantes habere uſum mentis: tamen aſſerentes, revera pravos motus cordis in illis exiſtere, non pugnamus cum AVGVSTINO, ut oggannit BELL. *lib. 5. de amiſſ. grat. & ſtatu peccat. c. 4.* quippe qui non indiſcriminatim omnes omnino ἐνεργείας καὶ κινήσεις infantibus detrahit (ſecus peccatum originis cogeretur ſtatuere ἀργὸν otioſum malum) ſed duntaxat βουλευτικάς.

51. Fruſtra objectes ex ARET. *part. 1. problem.* quod etiam infantibus competat pœnitentia, *Joël. II, 16.* ideoque etiam in illos quadret agnitio & volitio. Nam, ut non dicam, quod PISCATOR *vol. 1. diſp. loco 14. theſ. 34. p. 244.* ARETII refutet ſententiam, hoc duntaxat obſervari velim, quod pœnitentia vera

 conſtet

constet & contritione, agnitionem peccati & iræ Dei complectente, & fide salvante. Quamvis igitur infantes, per baptismum in filios Dei adoptati, fidei justificantis sint facti participes; tamen contritionis, exquisite loquendo, sunt expertes. Illa enim oritur ex auditu & sensu legalium concionum. Peccatum enim non cognoscitur, nisi per legem, *Rom. VII,7.* Auditus autem iste nondum competit infantibus. Vnde argumentor: Qui est expers auditus legalium concionum, & agnitionis peccatorum, ille est contritionis quoque vacuus. Sublata enim causa tollitur ejus effectio. Infantes, qua tales, sunt expertes auditus legalium concionum, &c. quamvis et quandoque multas sentiant patianturque afflictiones. Conf. AVG. *t. 2. de natura & orig. animar. ep. 28. p. 40.* 52. Neque Deus *Joël II,16.* præcipit infantibus contritionem et dolorem de admissis a se flagitiis: sed jubet, ut parentes, pœnitentiam de peccatis admissis acturi, suos etiam parvulos colligant, secumque sumant, tum ut ex eorum vel aspectu ad ferventiores fletus et preces pro avertendis suppliciis, alias imminentibus, fundendas ipsi concitentur: tum ut et infantes ipsi a pœnis impendentibus præserventur: alioquin et infantes cum parentibus, ob peccatum pœnis involvuntur. Quamobrem et nostro tempore Christiani parentes sæpiuscule suos parvulos secum adducunt in templum Domini.

53. AVG. *tom. 7. lib. 1. de peccat. merit. & remiss. c. 19. p. 282.* in alio sensu, de quo hic nullatenus loquimur, infantibus pœnitentiam tribuit: si, *inquit*, infantes propterea recte fideles vocantur, quoniam fidem per verba gestantium quodammodo profitentur; cur non prius etiam pœnitentes habentur, cum per eorundem verba gestantium, diabolo et huic seculo renuntiare monstrantur etc. Hæc ille. At Scriptura S. docet, quod infantes *baptizati* in seipsis fidem justificantem habeant, ut alibi probavi. Si ergo contritio illis vere competit, tum in seipsis erunt contriti, habentes agnitionem peccatorum &c. Quod & ipse AVGVST. negat. Hæc de primo argumento.

54. II. Sumo *ab exemplo Esavi & Jacobi*, Rom. IX, 11. *Dicuntur enim ibi nondum nati, nihil neque boni, neque mali fecisse,* scilicet προαιρετικῶς. Alias circumcisi Esau et Jacob in fœdus Dei vere fuerunt assumpti, et filii Dei facti. Spiritus S. igitur in illis *circumcisis* habitans, excitavit in illis fiduciam beantem, accenditque

que in iis motus bonos, infantibus congruentes. Haud aliter perhibentur infantes isti nihil mali fecisse; non ratione *negatae naturalis pravitatis*; quia in Adam omnes peccavimus, *Rom. V*, 12. neque *respectu absentium malarum motionum & inclinationum*; quia peccatum originis, utpote malum & venenum ἐνεργητικὸν, ab his κινήσεσιν, est per sui naturam insegregabile: sed respectu *praeelectivarum* operationum; quippe quæ in infantes, sive nondum natos, sive jam generatos, nondum quadrant. Conf. AVGVST. *tom.* 7. *lib.* 2. *contra Pelag. & Cælestium c.* 31. *p.* 340.

55. III. Peto *a testimonio* PAVLI *Rom. V*, 14. Qui inquit: *imo mors regnavit ab Adam usque ad Mosen, in eos quoque, qui non peccaverant, ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι, ad similitudinem transgressionis Adam, qui est typus illius, qui erat futurus.* Nota 1) verbum *regnare*, vult enim Paulus dicere, jam inde ab Adami lapsu, usque ad promulgationem legis Mosaicæ, mortem non tantum fuisse, sed etiam instar regis tyrannici sæviisse. 2) nota homines, *in quos* mors dicitur regnasse. *In eos quoque*, inquit Paulus, *qui non peccarunt*, ἐπὶ τῷ ὁμοιώματι, i. e. καθ' ὁμοιότητα, *transgressionis Adam.*

56. Per hos Marloratus, imitatus alios, mavult intelligere eos, qui sine lege peccarunt, *Rom. II*, 12. quam infantes. At vero conjunctio, καὶ, illam expositionem refellit, siquidem illa subinfert aliquam distinctionem inter homines. Si autem verborum Pauli hic sensus est: Mors regnavit *etiam* in eos, qui non peccaverant ad similitudinem transgressionis Adam, id est, qui non habuerant, ut ille, revelatam certo oraculo Dei voluntatem, sed duntaxat conscientiæ testimonium; tum conjunctio, *etiam*, redundabit. Nulla enim distinctione hic erit opus, quia omnibus & singulis hominibus a lapsu Adami usque ad latam legem Moisis, competit, τὸ *sine lege peccasse*, i. e. nullam legis Mosaicæ notitiam habuisse, neque illam, *ut scriptis tabulis publice tradita & repetita a Moise est*, violasse. Quare de infantibus hic Paulus disserit.

57. Observa 3) quidnam intelligatur per τὸ ὁμοίωμα transgressionis Adamiticæ. Absurdus namque fueris, si per transgressionem Adamiticam præcise tantum intellexeris ipsum fractionis & comestionis fructus vetiti actum: Quia possunt intelligi plura peccata in una transgressione Adæ, si in sua quasi membra dividatur. Nam & *superbia* est illic, quia homo in sua potius esse, quam Dei potestate dilexit: & *sacrilegium*, quia Deo non credidit: & *homicidium*, quia se in mortem præcipitavit: & *fornicatio spiritualis*, quia integritas mentis humanæ serpentina suasione corrupta est: & *furtum*, quia cibus prohibitus usurpatus est: & *avaritia*,

ritia, quia plus quam sufficere illi debuit, apperivit: & si quid aliud in hoc uno peccato inveniri potest, uti ait LOMBARDVS *l. 2. sent. dist. 33. d. ex* AVG. *Enchirid. ad Laurent. cap. 45. tom. 3. p. 75.* Et AMBROS. *super V. cap. ad Rom.* ait: Peccatum Adæ non longe est ab idololatria. Prævaricatus est enim, putans se hominem futurum Deum. Æstimavit enim, hoc magis profuturum, quod Diabolus suasit, quam quod Deus jussit, in loco Dei Diabolum statuens. Vnde & subjectus est Diabolo &c.

58. Non solum autem consideranda est ipsius peccati granditas; verum etiam *modus*, quo patravit illud Adam. Nam inescatus blanditiis Evæ, sciens & volens, contempto Deo, decerpsit fructum vetitum, eumque comedit; suisque cupiditatibus & affectibus indulsit: atque ita externum conspicuumque patravit flagitium atrocissimum. Quando autem PAVLVS *1 Tim. II, 14.* negat, Adamum esse seductum, sensus est, quod Adam *prior per Diabolum* non sit deceptus, sicut Eva; *sed posterior per Evam*, Satanæ blanditiis persuasam & circumventam.

59. Vnde constat, peccatum Adami fuisse προαιρετικὸν καὶ βελευτικὸν facinus pessimum: Indeque *Hos. VI, 7.* Israëlitæ dicuntur pactum transgressi & in Deum peccasse, כְּאָדָם, i. e. sicut Adam, i. e. scienter & voluntarie Deum offendisse (quamvis vocem *Adam* hic alii malint *appellative* accipere.) Quod apocryphus iste liber IV. Esdræ c. III, 21. ita effert: Cor malignum bajulans, primus Adam (intellige, *postquam dereliquit Deum*) transgressus & victus est; sed & omnes, qui de eo nati sunt. Et v. 26. In omnibus fecerunt, sicut fecit Adam, & omnes generationes ejus. Vtebantur enim & ipsi corde maligno.

60. Attende denique 4) cur Adam fuerit typus Christi: nempe propterea: *quoniam quemadmodum ille mortis, ex vetito cibo inductæ, causa factus est omnibus, qui ex illo sunt, licet ex prohibito ligno non comederint: sic & Christus suis, quotquot ex ipso sunt, tametsi justitiam non fecerint, justitiæ factus est conciliator, quam per crucem omnibus nobis donavit*, ut inquit hic CHRYSOST.

61. Nunc ergo ex hoc PAVLI testimonio sic colligo. *Quisquis non peccat ad similitudinem transgressionis Adam, ille non delinquit scienter & prælective:* sicuti Adami παράβασις fuit προαιρετική. Quandoquidem ὁμοίωμα, cujus hic PAVLVS mentionem ingerit, notat similitudinem & analogiam peccandi, ut Adam peccavit, subintellige *consulto:* sicut faciunt adulti, concupiscentiæ suæ illecebris irretiti, eisque obsecuti. Peccatum igitur inconsultum & involuntarium, non est transgressioni Adamiticæ

mitticæ ὅμοιον & conforme; sed ἀνόμοιον & difforme. *At nulli infantes, qua tales, peccant ad similitudinem transgressionis Adam,* teste PAVLO. E.

62. IV. depromo *ab innocentia infantium.* Sanguis enim eorum dicitur *innocens, Ps. CVI, 38. Jer. XIX, 4.* & *Joël. III, 19.* quemadmodum etiam pueri Bethlehemitici, ab Herode trucidati, *Matth. II, 16.* dici solent Infantes: & juxta CYPRIAN. *serm. de stella & Magis p. 491. innocua phalanx:* ubi & ille ait, Herodem, inauditæ crudelitatis monstrum, in neces *innocentium* fuisse debacchatum. Hinc sic argumentor: *Infantes* sunt insontes *aut* respectu *absentis* peccati originalis, ejusque primorum motuum vitiosorum; *aut* respectu *absentium ab illis* peccatorum actualium, presse dictorum. Non *prius:* quia sunt in peccato originali, quod est malum activuum, concepti & nati. Vnde & Deus dicitur mundando non mundaturus, *Exod. XXXIV, 7. & Nahum. I, 3.* hoc est, nullum hominem in terris viventem, innocentem pronunciaturus, licet vel ipse sibi videatur innoxius, vel talis etiam ab aliis habeatur. Concludit enim Deus omnes εἰς ἀπείθειαν, ut omnium misereatur, *Rom. XI, 32.* & *Gal. III, 22.* Et quilibet Sanctus cum Davide, *Ps. XXXII, 6.* rogat Deum suorum delictorum veniam, & petit, ne intret cum ipso in judicium; quia non justificetur in ipsius conspectu omnis vivens, *Ps. CXLIII, 2.* E. *posterius.* E. infantes sunt immunes ab actualibus *voluntariis* criminibus: in quo respectu nuncupantur innoxii. Et ubi per Sacramenta sunt Christo insiti, sunt justi & sancti per realem justitiæ & sanctitatis Christi imputationem.

63. Nec alias Spiritui S. inusitatum est, aliquem hominem appellare *innoxium,* non quidem *simpliciter & absolute;* sic enim omnis homo est peccator, dempto solo Christo; sed *limitate & determinate,* respectu scil. certi alicujus maleficii, quod quis non designavit. Ex pluribus hæc seligi & adduci queunt exempla, *Gen. XL, 15.* Joseph conqueritur, se innocentem esse in carcerem missum. Vbi per innocentiam suam non intelligit ἀπταισίαν omnium omnino peccatorum; sed tantum carentiam ejusmodi flagitiorum, quæ fuerint digna tali carcere. Et JEREM. *c. XXVI, 14. 15.* ad rabiosos inquit Judæos, quibus nomine Dei pœnas comminatus fuerat: Ego in manibus vestris sum; facite mihi, quod bonum & rectum est in oculis vestris. Veruntamen scitote & cognoscite, quod si occideritis me, *sanguinem innocentem* tradetis &c. En! Propheta se itidem vocat *innocentem,* non quod sit ἰσάγγελος, ab omni peccati labe immunis: agnoscit enim pravitatem cordis humani, *c. XVII, 9.* quæ in ipso sic etiam operosa fuit, ut diem nativitatis suæ sit execratus, *c. XX, 14.*

sed

sed quia tantum & tale non perpetravit enorme facinus, propter quod a Judæis fuerit morte mulctandus crudelissima. Hæc de quarto argumento.

64. V. Denique sumo *a remotione perpetui effecti peccatorum, contra conscientiam admissorum*, ita colligens: Quicunque renatus peccat scienter & malitiose, seu contra conscientiam, is amittit fiduciam justificantem, effunditque gratiam Dei. Nullus infans *circumcisus* in V. & *baptizatus* in N. T. proindeque regenitus, amittit fiduciam justificantem, nec effundit gratiam Dei. E. *Major* probatur; siquidem qui bonam conscientiam repellit, circa fidem naufragium facit, *1 Tim. I, 19.* & morituri sunt renati, quando secundum carnem vixerint, *Rom. VIII, 13.* Et neque scortatores, neque adulteri, neque idololatræ &c. regni Dei hæreditatem adipiscentur, *1 Cor. VI, 9. 10.* At quidam renati lapsi, fuerunt facti scortatores & adulteri, & idololatræ, ut constat ab exemplo Davidis & Salomonis. E. Quicunque autem est alienatus ab hæreditate regni Dei, is est incredulus. Ex quibus non obscure colligitur, quod *amissio* fidei justificantis, gratia Dei, justitiæ & æternæ salutis, sit perpetuum & inseparabile effectum flagitiorum, contra conscientiæ dictamen nequiter admissorum, nisi deinde peccator resipiscat.

65. *Minor* confirmatur inde, quandoquidem quicunque baptizati estis in Christum Jesum, in mortem ejus baptizati estis, inquit PAVLVS *Rom. VI, 3.* Et quicunque baptizati estis, Christum induistis, *Gal. III, 27.* Quicunque vero ipsum induerunt, illi habent fidem salvantem, utpote per quam inhabitat in cordibus eorum, *Eph. III, 17.* Si igitur infantes, per usum sive circumcisionis in V. sive baptismi in N. T. in fœdus Dei recepti, in infantia ex hac vita migrant, absque omni dubio æternum salvantur. Qui enim habet Filium, habet vitam. *1 Joh. V, 12.* Atque hæc sunt argumenta, quibus & secundum thema voluimus demonstrare; aliis prætermissis.

66. Vnde constat, quod quidam nostrorum Theologorum, quando tribuunt infantibus peccata *actualia*, loquantur *laxe*, intelligentes vivacissimam & operosissimam peccati originalis indolem, a qua non absint *motus primi vitiosi*. Quando vero cum AVGVST. & aliis detrahunt iisdem peccata actualia, loquantur *presse*, intelligentes flagitia enormia, ab usu liberi arbitrii profecta. Atque hæc dicta jam sufficiant.

Deo sit laus, honor & gloria in omnia seculorum secula. Amen.

DISPVTATIO II
DE QVAESTIONE
AN DEVS POSTERIS ET FILIIS INFLIGAT POENAS OB MAJORVM ET PARENTVM SVORVM FLAGITIA?

DEO BENIGNENTE JVVANTE
AD PLACIDAM SENTENTIARVM COLLATIONEM
PVBLICE PROPOSITA

AVTHORE ET PRAESIDE
JVSTO FEVRBORNIO
S. S. THEOLOGIÆ DOCTORE, EJVSDEMQVE PROF. ORDINARIO, STIPENDIAR. EPHORO ET ECCLESIASTÆ IN ACADEMIA GIESSENA

RESPONDENTE
GABRIELE SIBBERN
HOLSATO

IN AVDITORIO THEOLOGICO
DIE XII. FEBR. MDCXVIII



GIESSÆ ET LIPSIÆ
MDCCXLVI



TRANSITIO



Præcedenti Disputatione vidimus, omnes homines esse peccato originali subjectos, quod etiam in ipsis infantibus sit operosum, dignumque Dei ita & pœnis: consideremus jam, an homines non tantum ob sua, sed etiam *ob aliorum peccata a Deo puniantur.*

THESIS I.

Quia enim Deus testatur, se unicuique juxta viam *suam*, & juxta fructum ad inventionum *suarum* dare, *Jerem. XVII, 10.* & *XXXII, 19.* & juxta opera *sua* reddere, *Prov. XXIV, 12. Ps. XXVIII, 4.* & *LXII, 12. 2 Paral. VI, 30. Apoc. II, 23.* & *XXII, 12.* & ἀπροσωπολήπτως judicare *juxta cujusque* opus, *1 Petr. I, 17.* proinde homines quandoque secum disputant & colluctantur, *an Deus ob aliena etiam peccata aliquibus incutiat supplicia?*

2. Videre id est in Judæis, qui in terra Israël hoc jactitarunt proverbium, dicentes: *Patres comederunt uvam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt. Ezech. XVIII, 2.* & *Jer. XXXI, 29.* hoc est, patres nostri peccaverunt, *1 Reg. XII, 28.* & *XIV, 9. 2 Reg. XXI, 3. 5. 6. 2 Paralip. XXXIII, 6. Jer. XV, 4.* & nos iniquitates eorum portavimus. *Thren. V, 7.*

3. Merito enim peccatum uvæ acerbæ comparatur: quia reddit peccantium dentes stupidos, ut non possint ejus suavitatem sentire, de quo dicitur: *Gustate & videte, quoniam suavis est Dominus. Ps. XXXIII, 9.* HIERON. *in cap. XXXI. Jer. Tom. V. p. 344.* Scriptum est enim in proverbiis *cap. X, 26.* Sicut uva acerba dentibus noxia est, & fumus oculis, sic iniquitas his, qui utuntur ea. Idem in *cap. XVIII. Ezech. Tom. V. p. 437.* Et dum peccato anima pascitur, panem justitiæ edere non valet. GREGOR. in *cap. XIII. Jobi Tom. I. p. 391.*

4. Pii quoque perspicientes, quod homines flagitiosi prospere, mirantur eorum felicitatem agunt, *Job. XXI, 7. Ps. LXXIII, 3.* &c. & *Jer. XII, 1. 2.* suamque afflictionem & calamitatem miseris gemitibus, & acerbis luctibus prosequuntur: Et quia per Dei gratiam, *malitiosorum* sibi criminum non sunt conscii, incipiunt anxie cogitare & disquirere, *an ob aliena peccata Deus ipsis immittat ærumnas?* sæpeque hic hærent, suæque nativitatis diem detestantur, ut probat exemplum *Jobi cap. III, 3.* & *Jeremiæ cap XX, 9.* Quamvis autem Dei judicia (i. e. supplicia) dicantur mala (ipsis scilicet peccatoribus) *Ezech XIV, 21.* attamen sunt recta, *Ps. CIX, 137.* quippe Deus judicat *juste. Jer. XI, 20.*

5. Ea propter operæque curæque pretium visum fuit, hanc Quæstionem: *An Deus filiis & posteris infligat pœnas, ob parentum & majorum ipsorum flagitia?* ad nostram informationem & consolationem & veritatis indagationem, ex verbo divino, ξὺν Θεῷ, explicare, ejusque enucleationem disquisitioni publicæ subjicere, & θεολογούντων sententias audire.

6. Ante omnia vero ambiguitas a quæstionis terminis est abstergenda. Nam 1) filii & posteri sunt duplices: *pii* & *impii;* parentum flagitia vel vitantes, vel imitantes. 2) *Pœna* vel sumitur *stricte*, pro punitione culpæ nondum-dimissæ: vel *laxe*, pro quavis paterna credentium castigatione. 3) Pœna, *stricte accepta*, aut est æterna, & post mortem; aut temporaria, & ante temporalem mortem inflicta; eaque vel interna vel externa.

7. Esto ergo theorema. 1) „*Posteri filiique pii & innocentes,* „*ob enormia suorum majorum & parentum flagitia, non afficiuntur* „*a Deo ulla pœna, proprie & exquisite accepta, sive æterna, sive* „*temporali.* Idque probo 1) *ab arcta inter culpam & pœnam* „*relatione.*„ Hinc ita concludo: Quicunque vacant omni culpa, ii quoque carent omni pœna, *exquisite* & *stricte* accepta. Pii seu vere credentes omni vacant culpa. E.

8. *Propositio* inde constat: Quia *culpa* & *pœna* (justa) sunt relata. Posito autem sublatove relatorum uno, ponitur quoque tolliturve alterum. Pone itaque vel remove culpam, & pœnam quoque pones vel removebis. Vnde & THOMAS. *1. 2. q. 87. art. 7. & 8.* docet, omnem pœnam, quæ mere & proprie pœna est, esse propter aliquam culpam. Et PERERIVS in *Gen. cap. IX. p. 541. n. 163.* inquit: Si pœna proprie sumatur, necessario respondet peccato, *nec sine eo potest esse:* siquidem per pœnam compensatur & reficitur æqualitas justitiæ, per peccatum violatæ. Et BELLARM. *l. 1. de pœnit. c. 7.* Culpa, *ait,* est causa pœna, cum ex culpa obligatio nascatur ad pœnam. Et *lib. 3. de Laic. c. 11.* scribit: Culpa & pœna relativa sunt. Et b. AVGVSTINVS dicit *lib. 1. Retractat. c. 9.* Omnis pœna, si justa est, pœna peccati est. Et in *Epist. 105.* & alibi, Deum *ipsum fore injustum* asserit, si quenquam damnaret innoxium.

9. Quæ BELLARMINI testimonia sunt illi ipsimet opponenda, quando *lib. de Matrim. c. 17. ex 6. de reg. juris reg. 23.* inquit: Sine culpa, *nisi subsit causa,* non est aliquis puniendus; Et subjicit: Non solum culpam, sed etiam *causam* abesse oportet, ut quis nullo modo *puniri* possit. Nos contra dicimus, *omnem justam pœnam, proprie dictam semper prærequirere culpam;* Hæc enim si absit, pœna est injusta, quemadmodum & justitia Dei, & lex naturæ dictat; ut mirum sit, BELLARM. *lib. de Matrimon. cap. 17.* ipsi veritati obstrepere, aliisque in locis sibi contradicere. Recordetur & ille, quis unquam *innocens* perierit, & ubi *recti* succisi fuerint? *Job. IV, 7.*

10. Neque rationes BELLARMINI militant. Hic enim nos loquimur de *divino* judicio, deque pœna, *ἀκριβῶς ita accepta.*

 Ille

Ille adfert exempla tum judicii humani, ſæpe a juſtitiæ limitibus aberrantis; tum pœnæ *laxe* dictæ. Hactenus igitur urget, quæ non quadrant πρὸς διόνυσον.

11. Diſtinguat BELLARMINVS ex *Thoma II. 2. q. 108. art. 4.* inter pœnam, quatenus conſideratur ſecundum rationem pœnæ, h. e. *ſtricte & accurate;* & tum non debetur niſi peccato: ac inter pœnam, quatenus conſideratur, ut medicina; Et tum aliquis, nempe pius, interdum punitur, ſine ſua ipſius culpa; quippe quæ ipſi per fidem in Chriſtum eſt condonata; ſed non ſine cauſa. At tum pœna *ipſis piis* non amplius eſt *pœna*, ſi placet ἀκριβολογεῖν.

12. *Aſſumptio* quoque patet, ſi modo obſervetur, *pios & innocentes* ſpectari dupliciter 1) *abſolute & in ſeſe:* Et tum ſunt miſeri peccatores: Quia omnes & ſinguli homines, excepto Chriſto, ſunt prævaricatores. vide *2. Paralip. VI, 36. Rom. III, 23.* & *V, 18.* & *Jac. III, 2.* Nec peccatum per gratuitam remiſſionem ex credentibus exſtirpatur, ſed in iis obtegitur, *Pſ. XXXII, 1.* & *LXXXV, 3.* & non imputatur, *Rom. IV, 7. 8.* Vnde non-remittere eſt non-tegere, *Pſ. CIX, 14.* & *Nehem. IV, 5.* 2) *relative & in Chriſto*, ipſiusque ſancto merito, per veram fidem ab ipſis appropriato: Et tum ſunt juſti & juſtificati, *Rom. III, 28.* & *IV, 4.* & *V, 1.* Quo etiam ſenſu pii dicuntur recti & perfecti, *Gen. VI, 12. Job. I, 8. Pſ. XVIII, 24.* & irreprehenſibiles, *Luc. I, 6.* Noſtra igitur *aſſumptio* loquitur de piis, non in ſeſe ſpectatis; ſed imputata Chriſti innocentia tectis & ornatis. *Hoc primum argumentum;* Vnde conſtat, errare *tum* Calvinianos illos, qui fingunt Deum ex ſolo & *abſoluto* ſuo beneplacito pleroſque homines, *ſine eorum culpa*, deſtinaſſe & creaſſe ad luendas pœnas: *tum* Photinianos, qui ſtatuunt, Deum poſteris Adæ immittere mortem, etſi ex eo non traxerint peccatum originis, &c.

13. II. argumentum *ſumo ab* ὁλότητι καὶ τελειότητι *ſeu perfectione divinæ peccatorum noſtrorum remiſſionis;* ſic argumentans: *Pii habent perfecte & plene ſibi a Deo remiſſa peccata, Matth. XVIII, 32. Mich. VII, 19. Pſ. CIII, 3. Rom. V, 1. & VIII, 1.*

Vnde

Vnde LOMBARD. *l. 4. dist. 15. lit. f.* Et corpus canon. *caus. 33. q. 3. c. 41.* & BELLARM. *lib. 1. de pœnit. c. 5.* pro certo habent verbum illud AVGVSTINI, seu quicunque fuerit author, in lib. de vera & falsa pœnitent. *c. 9. Tom. 4. p. 514. Quædam impietas infidelitatis est, ab illo, qui justus, & justitia est, dimidiam sperare veniam.* Et THOM. *3. q. 86. art. 3.* ex AVGVST. docet, Deum remittere *omnia* peccata *simul & perfecte*; Secus hoc esset contra *perfectionem misericordiæ & gratiæ* Dei, cujus opera sunt perfecta, *Deut. XXXII, 4.* Et foret contra *perfectionem meriti Christi*, in quo fundata est nostrorum peccatorum remissio, *Eph. IV, ult.* Sicut igitur sanguis Christi nos emundat ab *omni* peccato: ita in Christo peccata non quædam duntaxat; sed *omnia* condonantur credentibus. E. *pii nullas* pœnas, *proprie dictas*, luunt. Tunc enim omnino perfecte peccatum censetur remissum, cum non solum culpa *sed etiam omnis pœna fuerit remissa*, fatente vel BELLARM. *l. 5. de amiss. grat. & stat. peccati cap. 20. p. 574.*

14. Quod utinam ille constanter crederet! Sic enim *l. 4. de pœnit. c 2. 3.* cum Patrib. Conc. Tridentini *Sess. 6. cap. 14. p. 66.* & *Sess. 14. Can. 12. p. 168.* edit. Leod. non traditurus esset, *post remissam culpam sæpe remanere reatum pœnæ temporalis, tum in præsenti, tum in futura a vita luenda.* Qui turpis error destruit integritatem & perfectionem divinæ remissionis nostrorum peccatorum, ut apertius ostendam in argumentorum BELLARMINI resolutione.

15. III. Argumentum peto *a testimonii divini claritate.* Nam Deus inquit *Ezech. XVIII, 4. Anima* (id est, homo, per synecdochen membri pro integro) *quæ peccaverit, ipsa morietur.* Et *v. 20. Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii.* Nota, hic per *mortem* intelligi non solum mortem & pœnam *temporalem*; sed etiam mortem *æternam.* Quod intelligatur mors & pœna *temporalis*, hinc elucescit. Nam de qua pœna Judæi in suo proverbio conquerebantur, de illa loquitur ibi Deus: siquidem responsio divina Judaicæ quærelæ est *conformata* & *accommodata*, secus inepta illa foret ad Judæos refutandos. At Judæi in suo proverbio conquerebantur de pœna temporali. *Patres*, inquiunt, *uvam acerbam comederunt*, h. e.

Jerobeam

Jerobeam & Manasses horrendam idololatriam exercuerunt; *& dentes filiorum obstupuerunt*, id est, nos propter istam patrum idololatriam punimur exilio & captivitate Babylonica. E. Deus de temporali morte (*violenta*) aliisque poenis temporalibus ibi loquitur.

16. Quod vero MARTYR in *l. c. class. 2. c. 1. §. 36. & 44.* Et JOH. PISCATOR *in comment. super Ezech. XVIII. schol. 4. & in c. 33. observ. 3.* asserunt, hic loqui Dominum *tantum* de morte poenisque temporalibus; id vero falsum est. Concedo quidem, Dominum hic loqui ex professo de poenis temporalibus, quibus Judæi non ob sua, sed ob patrum peccata se affici quiritabantur. Ast quia *tantæ verbi divini sunt divitiæ, ut non tantum ad quæstiones propositas respondeat sufficienter, verum etiam abundanter;* ideo Jehova etiam docet, se neque poena *æterna* ullum *innocentem* afficere.

17. Si dicas, hic peti principium, probabo, Jehovam *Ezech. XVIII,* & *XXXIII.* loqui de poena *etiam* æterna. Nam 1) *c. XVIII, 6-9.* recensetur peccata, quæ si quis perseveranter patrat, morte *æterna* plectitur: sin vitat, fide in Messiam salvatur *æternum.* 2) *v. 10. 11. 12.* peccata *lethalia* de filio pessimo enunciantur, & *vita* de ipso negatur, morsque affirmatur v. 13. Vnde colligo; De illa *etiam* morte, quæ est opposita vitæ *æternæ*, loquitur Jehova. At *æterna* mors, seu damnatio, est opposita vitæ æternæ. E. 3) De illa morte, quæ piis non obtingit, etiam Jehova loquitur. Nam *v. 14-17.* describitur filius obediens, & tandem v. 17. adjicitur: *Hic non morietur in iniquitate patris sui, sed vita vivet.* At æterna mors piis non obtingit. E. 4) v. 18. de patre *mortalia* prædicantur peccata, & dicitur, quod sit *moriturus* in iniquitate sua. E. ibi de morte etiam *æterna* sermo est: quippe quæ talium peccatorum continuatorum comes est. 5) v. 21. de impio *resipiscente* dicitur, quod sit vita victurus. At resipiscentes vitam *æternam* vivunt. Plura argumenta ex c. 33. possunt colligi.

18. Quæ ita evidentia sunt, ut MARTYR §. *44.* citati loci per ἐπανόρθωσιν inquiat: Quamvis non inficior, ad poenas etiam

spiritua-

ſpirituales transferri poſſe: at non niſi per argumentum a minore ad majus; idque ad hunc modum: Deus non inſlixit temporarias poenas prorſus innocentibus ob alienum peccatum. E. multo minus ſpirituales & æternas. Hæc MARTYR, cui reſpondeo, reſponſionem Jehovæ *Ezech. XVIII.* ad poenas ſpirituales & æternas non tantum transferri *poſſe:* ſed etiam reipſa & *actu ipſo* transferri, ut probavi.

19. Argumenta vero, quæ PISCATOR in *c.33. Ezech. p.246.* uſurpat, tantum probant, Jehovam ibi loqui de morte temporali & violenta. At grandem oppoſitorum fallaciam committit is, quicunque ſic argutatur. Jehovah *Ezech. XVIII.* & *XXXIII.* loquitur de morte *temporali.* E. non *æterna.* Vel, loquitur de morte *æterna.* E. non *temporaria.* Nam de utraque morte ſimul ibi loquitur.

20. Videamus tamen unum argumentum, quod PISCATOR in Apologia contra PAVLVM RÖDERN *p.142.* & *in lib. de grat. Dei p.62.* urget: Jehova facit mentionem *ſanguinis. Ez. XVIII, 8.* E. tantum loquitur de morte temporali *violenta:* quia mors æterna *ſanguinis* termino nuſquam in codice ſacro exprimitur. Reſp. 1) Eſt elenchus conſequentiæ. Nam ſi vel maxime *ſanguis* in codice ſacro ſolummodo poenam temporalem notaret; tamen tantum ſequeretur, in *illis* verſiculis *Ezech. XVIII.* & *XXXIII. in quibus* ponitur mentio *ſanguinis,* duntaxat ſermonem eſſe de poenis temporalibus. Hoc tamen non obſtante, in *aliis* verſiculis de *alius* poenæ genere poteſt agi, imo agitur. 2) Eſt Elenchus *a particulari,* ſeu legis κατὰ παντός; ſiquidem *ſanguis* in verbo divino non tantum, nec ſemper notat mortem temporalem cruentam; ſed *etiam* quandoque complectitur & effert poenam *æternam,* ut videre eſt *Actor. XVIII, 6, & 20. 26.* & *Matth. XXVII, 25.*

21. Vnde PISCATOR in *dicta Apolog. p.142.* ſuam hæſitantem prodidit conſcientiam, ſcribens, *ſua* quidem *opinione* vocem *ſanguinis* nuſquam in ſacris literis mortem ſignificare æternam. Quæ PISCATORIS opinio valde erronea eſt: ut etiam conſtat ex ipſius *Comment. in Acta Apoſtolor. c. XVIII, 6. ſchol. 6.* &

 c. XX, 26.

c. *XX*, 26. Rejecta ergo hac posteriore, sequatur suam priorem sententiam, quam olim approbavit in disput. adversus SCHAFFMANNUM *volum.* 2. *disputat. p.* 188. *thes.* 57. quæque vera est. *Cæterum*, inquit ibi, *quod in fine hujus loci monet* (SCHAFFMANNUS) *mortem æternam in illo Ezechielis dicto intelligendam esse, id inter nos quidem extra controversiam est.*

22. Nec quis miretur, terminum *sanguinis* in verbo divino complecti poenam tum *temporalem*, tum *æternam*. Id enim per *Hebraismum*, quem imitantur hic Græca, Latina, & Germanica lingua, fit, quo vocabula *culpæ* ponuntur pro vocabulis *pœnæ*. Sic עָוֹן, *avôn*, iniquitas, notat & iniquitatis culpam & poenam. *Gen. IV*, 12. & *Dan. IV*, 24. et חָמָס *chamás* designat violentiam et violentiæ poenam: *Jud. IX*, 24. Haud aliter דָּם, *dám*, notat non solum culpam, sed etiam reatum et poenam. Confer *Ps. V*, 7. & *LI*, 16. GREGOR. *Tom.* 1. *in cap.* 16. *Jobi p.* 438. ait: *Solet sanguinis nomine signari peccatum.* Et *lib.* 7. *Epist. Tom.* 2. *p* 999. *lit. c.* ait: *Sanguinis sanguinem tangere dicitur* (*Hos. IV*, 2.) *cum culpa culpæ adjungitur, ut iniquitatis cumulus multiplicetur.*

23. Abstersis jam falsis dicti, *Ezech. XVIII.* & *XXXIII.* Explicationibus, formabo pro primi theorematis confirmatione, tertium argumentum, hoc modo: Jehova, refutaturus iniquam Judæorum accusationem, quasi *innocentes* puniantur, inquit: *Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur.* Item: *Filius non portabit iniquitatem patris, nec hic illius.* E. filii pii et innocentes non puniuntur ob delicta suorum parentum. *Consequentia* probatur: quia *portare iniquitatem*, est, *puniri* & *pœnas pati ob iniquitatem.* Non enim hic sermo est de portatione *simplici*, de qua *Gen. L*, 17. sed *molesta* et *laboriosa*, h. e. cum perpessione suppliciorum conjuncta: de qua etiam *Es. LIII*, 4 *Joh. I*, 20. 1 *Petr. II*, 24. Nec hic v. 20. sermo est de filio nequissimo, sed pio et insonte. Nullus itaque pius homo respectu sui, patitur poenam, proprie dictam, ob alterius flagitia.

24. Quam verum sententiam male adhibuerunt tum olim Pelagiani, inde probare contendentes, ob lapsum protoplastorum

rum non puniri posteros, illorumque peccatum in hos non transire: ubi confuderunt peccatas *individui* et *speciei.* Ea enim, quæ sunt *speciei*, per generationem traducuntur in liberos: homo enim sibi simile in *specie* generat: quæ vero sunt *individui*, non propagantur, *nisi pertineant ad naturæ dispositionem, & ad humorum, unde fluant, temperationem.* Hæc si sunt vitiosa, ferme *semper*, sin laudabilia, *interdum* traducuntur. Conf. *Thom. 1. 2. quæst. 81. art. 2.* et PAREVM *in c. 11. ad Roman. dubio 12. p. 1143. Tum* hodie Photiniani, qui ex *Ezech. XVIII.* evincere conantur, Christum pro nostris peccatis, *ac vice ac loco nostri* non esse passum et mortuum; *quia sit innocens.*

25. Vbi ut alia jam taceam, commiscent duplicem Christi considerationem. Consideratur enim 1) *in sese*, ut filius Dei et hominis; et sic est sanctus sanctorum, *Dan. IX, 24.* immaculatus, *Hebr. VII, 26.* et expers peccati et doli, *Es. LIII, 9. Joh. VIII, 46. 2 Cor. V, 21. 1 Petr. II, 22.* estque *agno* incontaminato similis. *1 Petr. I, 19.* 2) *respective*, ut mediator et redemtor generis humani. Et tum portat nostros languores, *Es. LIII, 4.* et peccata, *Joh. I, 20.* et pro nobis est peccatum factus, *2 Cor. V, 21.* et maledictio, *Gal. III, 13.* Proinde nostra peccata vocat *sua* delicta, *Ps. LXIX, 6.* Quo sensu D. LVTHERVS *in c. 3. Gal. p. 237. edit. in 8.* Christum vocat *omnium maximum peccatorem, quo nullus major unquam in mundo fuerit;* non quasi *inhæsive & habitualiter* sit peccator? sed quia per veram, realem et divinam *imputationem* peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum. *1. Petr. II, 14.* Et propterea *typus* Christi fuit *hircus, Lev. XVI.* qui solet sordidus et impurus esse.

26. Male sanus ergo BELLARM. est, quando *l. 2. de Justif c. 7.* docet, *Christum per injustitiam nostram ipsi imputatam dici vere peccatorem;* id vero esse blasphemam et sacrilegam impudentiam, toti scripturæ repugnantem. Vidimus enim, quam erret Jesuita; qui quando loco citato etiam colligit, stante hac sententia, Christum dici debere *filium diaboli*, vagatur extra scripturam, in qua non æquipollent, *esse peccatorem*, et esse *filium diaboli:* prius enim prædicatur in scripturis de omnibus et sin-

 gulis

gulis hominibus: posterius tantum *de adultis*, non quibuslibet, sed iis, qui patrandis voluntariis et malitiosis peccatis, diabolum student imitari. Vide *Matth. XIII, 38. Joh. VIII, 41. 44. 1 Joh. III, 8. Act. XIII, 10.*

27. Qui et dicuntur filii gehennæ, *Matth. XXIII, 15.* filii perversæ rebellionis, *1 Sam. XX, 30.* filii Belial, *Deut. XIII, 13. 1 Sam. I, 16. & II, 12.* viri Belial, *1 Reg. XXI, 13.* filii iniquitatis, *2 Sam. III, 34. & VII, 10.* filii subductionis, *Hebr. X, 39.* exsecrationis, *2 Petr. II, 14.* et contumaciæ, *Eph. II, 1.* et *V, 6.* et *Col. III, 6.* et progenies viperarum, *Matth. III, 7.* et *XXIII, 33.* Etsi igitur nos omnes et singuli simus natura filii *iræ, Eph. II, 3.* caro de carne, *Joh. III, 6.* non tamen omnes et singuli sumus *filii diaboli*, hoc est, perverse, studiose et malitiose prævaricantes; quamvis WESTHEMER *in libr. de tropis p. 687.* et quidam alii putent, esse phrases æquipollentes, *esse filios iræ, et esse filios diaboli;* sed postquam renati sumus, dicimur et sumus filii lucis, *Luc. XVI, 8. Joh. XII, 36. Eph. V, 8.* qui dicuntur *spirituales, 1 Cor. II, 15. Gal. VI, 1.* filii Dei, *Joh. I, 12. Gal. III, 26. 1 Joh. V, 1.* filii promissionis, *Rom. IX, 8.* filiique secundum spiritum, *Gal. IV, 29.*

28. Recte ergo ait AVGVSTIN. *Tom. 6.* contra ADAMANT. MANICH. discipulum *cap. 5. p. 74. Filii diaboli* dicuntut homines, *cum imitantur ejus impiam superbiam, & a luce atque celsitudine decidunt sapientiæ, & non credunt veritati, &c.* Proinde Christus propter sibi imputata omnium et singulorum hominum peccata, in scripturis quidem dicitur peccatum: sed non in illis propterea dicitur *filius diaboli;* quia hæc phrasis *in codice sacro* notat eum, qui *in & per se* peccatis delectatur, et habitum in *prælectivis facinoribus* vel contraxit, vel saltem contrahere nequiter coepit. Id quod de Christo dici non potest, nisi blasphemе.

29. Quando ergo Christus est passus et mortuus, tum innocens et sanctus *indistincte* non est mortuus; sed peccator maximus, non quidem, *inhæsive & habitualiter*, neque *putative & apparen-*

apparenter; sed *imputative & realiter.* Dominus enim הִפְגִּיעַ *hiphgiáh*, hoc est, *hostiliter fecit incurrere* in eum iniquitatem nostruum omnium, *Es. LIII, 6.* et eum fecit pro nobis peccatum *2 Cor. V, 21.* Vbi vox *peccatum* non tantum significat *hostiam* pro peccato sed etiam notat ipsam iniquitatem, quæ Christo verissime et realissime est imputata, et a nobis in ipsum derivata et conjecta divina imputatione. Quod immerito oppugnat BELLARM. *l. 2. de Justific. c. 7. & 10.* Ex his igitur constat, quod nec Photiniani ex *Ezech. XVIII.* pro destruenda Christi satisfactione solidi aliquid queant obtinere. Qua de re commodius disseri potest alio tempore.

30. Jam enim theorema 1) finiam, et ad *secundum* progrediar, quod est tale: „*Quamvis pii vereque credentes filii & posteri ob „parentum & majorum suorum flagitia, nec æternas, nec tempo„rales patiantur pœnas, propriissime dictas; attamen interdum ob „illorum crimina temporalibus calamitatibus & afflictionibus involvuntur.*„ Dico *interdum.* Nam quandoque Deus parvulis filiis per sacramentum initiationis Ecclesiæ insertis; Imo etiam adultis filiis, alias etiam uspiam exorbitantibus, sed in *singularia* patrum flagitia non consentientibus, interdum parcit, ita ut non cum deterrimis parentibus exscindatur, ut constat ab exemplo filiorum Coreh. *Num. XXVI, 11.* Confer promissionem Dei *Jer. XVIII, 8. 9.* et adde *1 Reg. XIV, 13.* *Quandoque* tamen pii liberi et posteri ob patrum et antecessorum maleficia a Deo visitantur peculiari cruce et afflictione.

31. Nam ob peccatum Davidis (ad quod eum a Deo fuisse *incitatum*, blaspheme scribit PISCATOR *in 2 Sam. XXIV. obs. 1. p. 655.*) septuaginta millia virorum pestis abripuit, *2 Sam. XXIV, 15.* inter quos, *saltem* aliquos fuisse pios, non est improbabile. Sic pius Jonathan cum impio suo patre, Saule, fuit occisus in prælio, *1 Sam. XXXI, 2. 1 Paralip. X, 2.* Et Ezechias, pius filius Achabi, fuit tandem afflictus, postquam in peccatum ambitionis lapsus esset, *2 Reg. XX, 13. & 2 Paralip. XXXII, 31.* ob avi Manassis et patris etiam Ammonis peccata, pius Josias in bello est mortuus, *2 Reg. XXIII, 26. 29.* quamvis et ipse temerarie bellarit, *2 Paralip.*

 XXXV, 22.

XXXV, *22*. propter patris Davidis adulterium et homicidium, infans ejus fuit præmature mortuus, *2 Sam. XII*, *15*. Denique ob parentum Judæorum idololatriam parvuli et sugentes (circumcisi) dicuntur exscindi, *Jer. XLIV*, *7*. Et pueruli Bethlehemitici fuerunt crudeliter interempti, *Jer. XXXI*, *15*. et *Matth. II*, *18*. Hinc S. scriptura testatur, quod Deus incipiat in civitate, quæ denominata est a nomine ipsius, affligere, *Jer. XXV*, *29*. quodque divinum judicium a domo Dei incipiat. *1 Petr. IV*, *17*.

32. Et AVGVSTINVS, *Tom. 4. Quæst. ex V. T. q. 14. p. 430.* inquit: Quibusdam tamen videtur, sic reddita esse peccata patrum in filios, dum in captivitatem ducti sunt, causa patrum, et fuerunt ibi usque ad quartam generationem. Quod si verum est, non solum *odio habentibus se*, reddidit peccata patrum; sed et *diligentibus nomen suum:* quia et Daniel abductus est, et tres pueri, et Baruch, et Ezechiel, et Esdras ibi natus est. etc.

33. Vbi tamen nemo cogitet, infantes circumcisos in V. et baptizatos in N. T. quando ob patrum flagitia multifariam torquentur, vel morte etiam abripiuntur, *prorsus* innocentes ipsos affligi. Nam si prorsus et *omnino habitualiter* essent innocentes, et peccati inhærentis expertes, tum neque mortis, neque ullius mali forent participes; siquidem author libri *Sapient. c. XII*, *15*. recte sic Deum alloquitur: *Tu justus existens, juste omnia disponis, ipsum, qui non debet puniri, condemnare* (ἀλλότριον) *alienum existimans a tua potentia.* Et *peccati* stipendium *mors* est, *Rom. VI*, *23*. Tolle itaque peccatum, et non supererit mors, *ut proprie dicta peccati pœna.* Temporalis enim *piorum* mors non amplius est poena, *exquisite sumpta*, peccatorum: Quippe piis in Christo gratis condonatorum; sed ἀπόλυσις καὶ ἀνάλυσις ex jugo miseriarum, *Luc. II*, *29*. Et *Philip. I*, *29*. et μετάβασις ex morte in vitam, *Joh. V*, *24*. imo per piorum afflictiones manifestantur opera Dei, *Joh. IX*, *3*. ipsorumque martyriis Deus glorificatur, *Joh. XXI*, *19*. et magnificatur, *Philip. I*, *20*.

34. Parvuli ergo sunt *innocentes*, *Ps. CVI*, *38*. et *Jer. XIX*, *4*. non propter *absentem* originalem pravam concupiscentiam et injustitiam;

justitiam; quippe quæ in totum mundum per unum hominem intravit, *Rom. V*, 12. Et licet in baptismo infantibus remittatur, non tamen sic condonatur, ut non sit, sed ut non *obsit*, et ne obsit *mortuo*, quae oberat *nato*, ut ex AVGVSTINO loquitur Jus Canon. *de Consecrat. dist.* 4. *canon.* 2. Nec sunt insontes, *propter absentes motus aliquos pravos:* Quippe figmentum (יֵצֶר *iézer* est in Hebraeo, quod notat ipsum figendi et formandi cordis motum, sive quocunque modo peractum, sive in adultis deliberatione confirmatum) cogitationum cordis ejus (hominis) tantum malum est omni die, *Gen. VI*, 5. et ab infantia ejus. *cap. XVIII*, 21.

35. Sed sunt innoxii, *propter maleficiorum prælectivorum* ἀπȣσίαν: siquidem nondum laborant *voluntariis maleficiis*. Deest enim illis προαίρεσις καὶ βȣλησις, καὶ βȣλευσις, quae sunt proxima actionum principia. Ob quam causam (infantes) dicuntur non peccare ad *similitudinem* transgressionis Adae, *Rom. V*, 14. quae erat ἀνομία, προαιρετικὴ, *Gen. III*, 6. et nescire discrimen inter bonum et malum, *Deut. I*, 39. interque dextram et sinistram, *Jonæ IV*, 11. imo diserte infantibus, Jacobo et Esavo bona et mala πρᾶξις (cum pleno liberi arbitrii usu connexa) detrahitur, *Rom. IX*, 11. Qua de re prolixius superiori disputatione dixi.

36. Cum igitur infantes in peccato concepti sint, et post sui in baptismo regenerationem, maneant inquinati pravitate naturali, et concupiscentia vitiosa, ejusque inclinationibus, agitationibus et motionibus, legi divinae difformibus; idcirco quando ob flagitia parentum affliguntur, non sunt *prorsus* innocentes, neque ἰσάγγελοι: Quandoquidem tamen remissione peccatorum in baptismo sunt donati, ideo quicquid adversitatis, a Deo ipsis immissae, patiuntur, non habet rationem poenae, *presse & accurate acceptæ*, hoc est, non est respectu infantum τιμωρία (licet esse possit et sit ratione malignorum parentum (sed δοκιμασία: Nam distinguendum est inter poenam, ἰδίως καὶ ἀκριβῶς dictam, et inter poenam, quae habet rationem medicinae. Si filius vel subditus sunt participes culpae, tum malum, quod sustinetur ab ipsis, est poena, et respectu ipsorum,

qui

qui patiuntur, et respectu eorum, pro quibus patiuntur. Si vero non sunt participes culpae, habet rationem poenae (*proprie dictæ*) quantum ad eum, pro quo puniuntur; quantum ero ad ipsos, qui puniuntur, habet rationem medicinae. Confer *Thom. 1. 2. q. 87. a. 7. & 8. & 2. 2. q. 108. a. 5.* et PERER. *in cap. IX. Gen. num. 166.*

37. Tantum de primo et secundo theoremate, *posteros & filios pios complexis:* sequuntur duo, de impiis et scelerosis. Sit ergo theorema tertium: „*Impii liberi & posteri in peccatis suis* „*enormibus, & deformibus sine resipiscentia perseverantes, ob pec-* „*cata patrum, non afficiuntur in inferno majori & graviori pœna:* „*sed tantum ibi puniuntur ob sua delicta, finali ἀπιςίᾳ perpetuata.* CALVINUS *l. 2. Institut. c. 8. §. 19.* urget dictum, *Exod. XX, 5. Num. XIV, 18. & Jerem. XXXII, 18.* et reprehendit illos, qui haec et similia loca putant *duntaxat* intelligenda esse de poenis temporariis, quas filii pro parentum delictis sustineant. Et subjungit: Quum id ad quaestionis hujus solutionem affertur, effugium est magis, quam vera interpretatio. *Graviorem enim ultionem edicit hic, & similibus locis, quam ut intra vitæ præsentis terminos limitetur.* Haec CALVINUS, extra sacrae scripturae limites divagans.

38. Qui cum suis in hoc etiam vehementer errat, quod *horribili, absoluto, & simplici* Dei decreto quosdam homines scribit ad salutem electos, quosdam vero ad damnationem reprobatos et creatos esse. Sic enim illud fictum et pictum decretum vocatur et inculcatur partim a CALVINO *l. 3. institut. c. 23. §. 7.* partim a ZANCHIO *in Miscell. titul. de lib. vitæ p. 226.* a PISCATORE *volum. 2. disp.* contra SCHAFFMAN. *p. 201. thesi 80.* ubi etiam *p. 218. thesi 96.* gratiam Dei *absolutam*, et gratiam *gratuitam* reipsa idem esse scribit; et denique a KECKERMANN. in *System. theolog. l. 3. c. 1. p. 299. 300. 301.* quamvis *p. 305.* obnubilando statum controversiae, se suosque nitatur excusare, sed incassum. Quamobrem stante hac CALVINI hypothesi, ipse quoque cum suis statuere necesse habet, nequissimos majores et parentes, ipsorum-

ipsorumque posteros & liberos, qui damnantur, ab æterno esse *simpliciter* & *absolute* ad gehennam prædestinatos & creatos. Caussam enim *reprobationis æternæ* nullam aliam cum suis agnoscit; quam *absolutum* Dei beneplacitum & *simplex* decretum. Quam terribilem sententiam nos ex Dei verbo didicimus improbare, & falsam proclamare, uti alias probari potest.

39. Hac ergo pestilenti opinione missa, quæritur de theorematis nostri tertii veritate: quam breviter his probo argumentis: 1) S. scriptura, loquens de præmiis & pœnis, post temporalem mortem futuris, *tantum* dicit, unumquenque *suum*, ἴδιον, onus portaturum, *Gal. VI, 5.* & *de seipso*, rationem Deo redditurum esse. *Rom. XIV, 13.* E. propter aliorum delicta nemo *tum* punietur; Cæteroquin hoc S. scriptura in dictis, quæ de præmiis & suppliciis post mortem temporalem futuris *ex professo* disserunt, adjecisset. S. enim scriptura fidei articulos *plene* describit. 2) Nemo in vita æterna ob bona majorum suorum opera retributionem majoris gloriae accipiet: sed unusquisque referet ea, quæ fiunt *per corpus*, prout *gessit*, sive bonum, sive malum, *2 Cor. V, 10.* & justus *sua* fide vivet, *Habac. II, 4.* & unusquisque ἴδιον μισθὸν accipiet κατὰ τὸν ἴδιον κόπον. *1 Cor. III, 8.* E. neque in inferno ob majorum flagitia quispiam magis torquebitur: Quia *pariter hic* S. scriptura *de his* loquitur.

40. CHRYSOSTOM. equidem *Tom. 1. in homil. de dicto Ps. LXXXIV, (LXXXV.) 6. Non in æternum irascaris nobis, p. 755.* ait: Gratias tibi Deus, qui addidisti (*Exod. XX, 5.*) *in iis, qui non cognoverunt me.* Cæterum si taceres, omnes damnares. Demonstrasti ergo, quia pater si fuerit contemptor tuus, & filius *talis* fuerit, æque tibi non obediens, & nepos secutus fuerit vias avi, & patris sui: pronepos, si ita attenderit, quod anterior generatio ejus: quia ergo te non cognoverunt, rependes eis secundum tertiam, & quartam progeniem. &c. Paulo post: Vnusquisque pro facinore *suo* punietur, pro malis *suis* in pœnam æternam mittetur. Item: Pondus peccatorum suorum unusquisque *in se* portat, pro *suo* peccato judicabitur. &c.

41. Et ſane petimus, ex S. literis uno ſaltem dicto probari, quod homines finaliter mali & increduli ob majorum & parentum flagitia, graviorem *in inferno* ultionem & pœnam ſint paſſuri. CALVINUS equidem urget, *Exod. XX, 5. Num. XIV, 18.* & *Jer. XXXII, 8.* (quibus addi queunt *Exod. XXXIV, 7.* & *Deut. V, 9.*) ſed εἰς κενόν. Quod ut videamus apertius, verba Jehovæ conſideremus: *Ego*, inquit, *ſum Deus fortis zelotes*, *viſitans iniquitatem patrum in filios*, *in tertianos*, *&* *in quartanos* (i. e. in nepotes & abnepotes) *eorum*, *qui oderunt me.* *Exod. XX, 5.* Hic Deus loquitur de patrum *iniquitate*, quæ hic non notat *peccatum veniale*, ſed *mortale*, nempe tale delictum, quod conjugium ſpirituale inter Deum zeloten, & homines diſrumpit, quodque cum odio Dei eſt conglutinatum: quale peccatum eſt etiam idololatria, quam Deus v. 4. prohibuerat, quæque ſpiritualis ſcortatio eſt, *Jer. III, 1.* &c. Hanc patrum iniquitatem dicit ſe viſitaturum, non viſitatione *gratiæ*, de qua *Gen. XXI, 1.* & *L, 25. Jer. XXVII, 22.* & *XV, 15. Luc. I, 68. 78.* & *c. XIX, 44.* quippe quæ reſpicit *pietatem*, ſed viſitatione *iræ*, de qua *Eſ. X, 3. 12. Num. XVI, 29. Hoſ. I, 4.* & *IV, 9.* Deus enim *Jer. XXXII, 18.* & *Eſ. LXV, 7.* dicitur retribuere ſeu rependere iniquitatem patrum *in ſinum filiorum eorum* poſt eos.

42. Porro dicit, in filios ſe viſitaturum iniquitatem patrum, non *quorumcunque*, ſed *eorum*, *qui odio proſequantur ipſum*, *Exod. XX, 5.* & *Deut. V, 9.* Qui προσδιορισμὸς *primo* intelligitur *de parentibus*, ut clarius patet ex Hebræo textu, ubi eſt לְשֹׂנְאָי. En! in hac reſtrictione non habetur particula עַל, *al*, quæ fuit in præcedentibus: ſed præfixum לְ, *lamed*, *quod cum ab antegreſſo nomine regitur*, *notat genitivum*. Eſt autem hic Ellipſis duarum vocum עַל־בְּנֵי *al-bene*, i. e. in filios, quæ voces repetendæ ſunt ex verbis præcedentibus. Vt integra oratio hæc ſit: *Viſitans iniquitatem patrum in filios*, *in pronepotes & abnepotes*, *in filios*, inquam, *eorum*, *qui oderunt me.* Etenim hic manifeſte ſermo habetur de viſitatione iniquitatis patrum; *quæ viſitatio ſeu punitio exaggeratur ex continuatione in filios*; & quidem non tantum in filios, proprie dictos, vel etiam ab illis proximos,

ximos, id est, nepotes: sed etiam pronepotes, & abnepotes. Confer PISCATOR. in *Exod. XX. schol. 5. p. 244. 245.* & *in Deut. V. schol. 15. p. 72.*

43. *Nec tamen hinc excluduntur*, sed revera includuntur & connotantur *liberi, Deum odio prosequentes: Et pii insontesque liberi hic excipiuntur: seu liberos, filiali amore & fiducia Deum patrem complectentes, & patrum peccata fugientes, caneque pejus & angue caventes* non ferit hæc Dei comminatio; siquidem, *Ezech. XVIII, 4.* inquit Jehova: Anima (*non innocens* sed) *quæ peccaverit*, ipsa (*non alia insons*) morietur. Et v. 14. Quod si genuerit filium, qui videns omnia peccata patris sui, quæ fecit, timuerit, *& non fecerit simile eis* &c. hic *non morietur* (NB.) *in iniquitate* patris sui, sed *vita vivet.* Et v. 19. ulterius præoccupat & refellit Judæorum querelam. *Et dicitis*, inquit, *Quare non portabit filius iniquitatem patris? Videlicet, quia filius judicium & justitiam operatus est, omnia præcepta mea custodivit, & fecit illa, vita vivet. v. 20. Anima, quæ peccaverit, ipsa morietur; filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii: justitia justi super eum erit, & impietas impii erit super eum*, non super alium innocentem.

44. Vnde AVGVST. *Tom. 6. lib.* contra ADAMANT. *c. 6. p. 75.* ait: Ex eo, quod addidit: *qui me oderunt*, intelligitur, *eos* puniri peccatis parentum; *qui in eadem perversitate parentum perseverare voluerunt.* Tales enim non sævitia, sed potius justitia Dei, & *sua iniquitate* puniuntur &c. *Paulo post:* Nam non pertinere patris peccata ad filium, juste viventem, Propheta Ezechiel apertissime ostendit *cap. XVIII, 14.* &c. Idem docet AVGVST. *Tom. 4. quæst. ex V. T. q. 14. p. 430.* & Q. super *Deut. q. 42. p. 118.* Consentit HIERONYM. *Tom. 5.* super *Ez. c. XVIII. p. 437.* ubi inquit: *Injustitia videtur Dei, alium peccare, & alium luere pœnam. Si enim reddit peccata patrum super filios in tertiam & quartam generationem, injustum videtur, ut alius peccet, alius puniatur*, sed ex eo, quod sequitur: *His, qui oderunt*, comminationis sive præcepti scandalum *solvitur. Non enim ideo puniuntur in tertia & quarta generatione: quia deliquerunt pa-*

tres eorum: cum patres potius, qui fuerunt peccatores, puniri debuerint; sed quia patrum extiterunt æmulatores, & oderunt Deum, hæreditario malo & impietate in ramos quoque de radice crescente &c. Confer. & AVGVSTIN. *lib. 6.* contra JVLIANVM *c. 12.* ubi aliter dictum Ezechielis *c. XVIII.* explicat. Hic tamen addo, quod licet Deus minetur, *Exod. XX, 5.* se velle parentum flagitia punire in filiis, si *illa eadem* malitiose imitentur; tamen plus insuper illa comminatio contineat: siquidem & sensus est, quod Deus facinora parentum pessima in filiis *flagitiosis* velit plectere, sive filii *illa eadem* crimina *paterna* patrent, sive *alia* facinora prava designent, & ita extra statum gratiæ divinæ sint constituti. Si enim duntaxat hic esset sensus, quod Deus patrum peccata, *quæ eadem filii nequiter imitati sint*, velit in iis visitare, tum filii tantummodo ob *sua* peccata visitarentur: cum tamen pessimi filii ob parentum etiam maleficia visitentur. Confer thesin 57.

45. Constat ergo, Deum *Exod. XX, 5.* loqui de parentibus *nequissimis*, & filiis *nocentissimis*. Ezech. autem *c. XVIII, 20.* de filio patris flagitia vitante, deque patre, filium suum in peccandi studio non æmulante (prout Deus ἀναστροφάδην & *alternatim* loquitur.) *Ibi* enim innuit, filios *malos* ob patrum *malorum* peccata; puniri *in hac vita* & interne & externe; *hic* vero docet, filium *pium* non portaturum iniquitatem & pœnam temporalem, multo minus æternam, patris (*impii*:) Nec patrem (pium) esse passurum pœnam propter iniquitatem *filii* scil. *nequam*. Quæ vera est conciliatio locorum, *Exod. XX, 5.* & *Ezech. XVIII, 20.* alias in speciem contrariorum.

46. Non enim veritati cœlesti satisfaciunt, quicunque dicunt, Deum *Exod. XX, 5* loqui de pœna *temporali* (hactenus recte) sed *Ezech. XVIII.* de pœna *æterna* (hactenus etiam recte) non *temporali* (id falsum.) Nam 1) audivimus, Deum *Ezech. cap. XVIII.* loqui de pœna *temporali*; siquidem de illa loquitur iniquum Judæorum adagium. v. 2. Quod si ergo Deus *Ez. XVIII.* in *nullis* versiculis differeret *etiam* de *hujus* vitæ supplicio, tum gravem Judæorum accusationem & criminationem non diluisset.

Illi

Illi enim non querebantur, se *innocentes*, ob patrum delicta, *in inferno* puniri, & punitum iri, sed se insontes *in hac vita*, captivitate aliisque ærumnis premi. Qualis itaque Judæorum erat quæstio & conquestio, talis erat Jehovæ responsio: An enim dices, hanc illis non fuisse conformatam & aptatam? At quæstio & querela Judæorum erat de suppliciis & pœnis *temporalibus*, quas se, sceleribus avitis non consceleratos, ob scelera tamen avita pati, lamentabantur & causabantur, ut liquet *tum* ex πολυθρυλλήτῳ παροιμίᾳ, *Ezech. XVIII*, 2. cujus explicationem vide in Dn. ZECHNERI Adagiis sacris, lectu dignissimis, *centur.* 1. *adag.* 92 *p.* 223; *tum* ex *Ezech. cap. XXXIII.* συναφείᾳ. Vbi *v.* 2. 3. 27. fit mentio *gladii*, super terram inducti, *v.* 21. *civitatis vastatæ*, *v.* 24. *locorum vastatorum* terræ Israël, *v.* 27. 29. *bestiarum & pestis*, *v.* 28. *desolatorum montium Israëlis*. E. & Jehovæ responsio est *etiam* de pœnis temporalibus.

47. Percepimus autem etiam 2) ἐκ περιουσίας, & plenioris informationis gratia, Jehovam etiam loqui de pœna *æterna*, & sensum esse: Ego Jehova neque in hominem prorsus ἀναίτιον καὶ ἀναμάρτητον ullum, neque in vos Judæos ἀκάκους & innocuos ob patrum noxas animadverto; ita ut *ipsis* piis filiis immissa calamitas sit pœna *proprie* dicta; sed unumquenque de vobis *juxta vias suas* judico, *cap. XXXIII*, 20. neque ullum hominem ob graves alterius noxas morte sempiterna mulcto; sed impius in impietate sua morietur, *v.* 8. 9. scil. *æternum*; si permanserit impœnitens. Loquitur enim de ea morte, quæ per pœnitentiam salutarem potest effugi, *v* 14. &c. & qua afficitur justus, a justitia sua recedens, *v.* 18. deque ea vita: quam vivent vere resipiscentes. *v.* 15. 16. 19. Nonne autem *æterna* mors per resipiscentiam constantem effugitur? Nonne justus, perseveranter a justitia sua recedens, æterna morte percutitur? Nonne vere & ἐπιμόνως resipiscentes æternum vivunt?

48. Quæ cum ita sint, errore ducitur CALVINUS, quando locum *Exod. XX*, 5. & similes, interpretatur non tantum de pœnis, hujus vitæ intercapedine conclusis; sed etiam post hanc vitam perpetuo futuris. Nam 1) *Pœna æterna est invariabilis*,

hoc eſt, (ſic enim quod dixi, intelligo) omnibus & ſingulis perſonis, quæ propter *finalem incredulitatem*, *perſeveranter* ejus reæ ſunt, *certo* infligitur, & inflicta ab illis nunquam tollitur. Vide *Eſ. LXVI, 24. Matth. XXV, 41. 46. Luc. XVI, 26.* At pœna, quam terris & iniquis ſceleroſorum patrum filiis Deus *Exod. XX, 5.* minatur, non eſt invariabilis. Nam & ipſe CALVINVS *l. 2. inſtit. c. 8. ſ. 21.* Cæterum, *inquit*, nihil obſtat, quod impiorum ſoboles *interdum* ad bonam frugem ſe recipit, fidelium ſoboles degenerat: quia *non perpetuam* hic regulam figere voluit legislator, quæ ſuæ electioni derogaret. &c. Idem docet PISCATOR in *Exod. c. XX. ſchol. 5. p. 245.* quem vide. Certe Deus tam clemens & propitius eſt, ut ob parentum noxiorum vitia non omnes & ſingulos eorum malignos poſteros ſemper puniat. Vnde eſt, quod parentum malorum generationem arctarit *quaternario*; bonorum, ampliarit millenario numero.

49. Adde 2) De quali Deus hic loquitur præmio, de tali loquitur ſupplicio; quia comminationi *ſupplicii* per antitheſin annectit promiſſionem præmii. Et abſurdum eſt dicere, Deum impiis filiis ob peccata patrum, & *æterna* & *temporaria* comminatum eſſe ſupplicia, *vi ſuæ juſtitiæ & iræ:* ſed piis liberis, reſpiciendo (*non quidem ex condigno & merito*, ſed liberali munificentia, & memorabili μεγαλοπρεπείᾳ) bona piorum parentum opera, *tantum temporalia*, non *æterna*, promiſiſſe præmia, *vigore ſuæ miſericordiæ & ſuperabundantis gratiæ.* An enim Deus non eſt *æque* miſericors, atque juſtus? vel an ejus clementia eſt minor, quam ira? At Deus tantum loquitur de præmio *temporali*, ut 1) probat verborum συνέχεια *de mille generationibus.* Succeſſivæ enim & per mille annos continuatæ generationes tantum in hoc ſeculo habent locum. Confer *Eccleſ. I, 4. Luc. XX, 34-36.* 2) Exemplorum ἐνάργεια. Sic enim illa Dei regula, cum comminans, tum pollicitans eſt intelligenda, quemadmodum complementorum exempla illam explicant. Non enim *contra*, ſed *juxta* ſuum verbum Deus veraciter agit. Vide *Pſ. XXXIII, 4. Num. XXIII, 19. 1 Sam. XV, 29.* At nullum exemplum dari puto in codice ſacro vel impiorum liberorum, ob

mali-

malignorum parentum peccata, *in inferno* gravius punitorum puniendorumque, vel piorum filiorum, ob religiosorum patrum pietatem, majori in cœlis gloria coronatorum coronandorumque.

50. Sunt quidem liberis promissiones datæ *Gen.XVII, 7. Proverb.XX, 7. Act. II, 39.* sed illæ non sunt *absolutæ*, verum certis mediis, divinæque ordinationi inclusæ; neque docent, pios liberos ob pios parentum sanctorum actus in cœlo beatorum, majora adipisci præmia. Habet profecto pietas promissionem hujus & futuræ vitæ, *1 Tim. IV, 8.* veruntamen non quemadmodum Deus in hac vita, ob patrum pietatem, benefacit liberis: Vide *Ps. XXXVII, 25.* & *CXXXII, 1. 10. 11.* ita in altera vita ob eandem, eos majori decorat gloria. Quia ideo Deus in hac vita piis, ob parentum pietatem beneficia præstat, ut mali, hoc cernentes, a viis suis pessimis abducantur, & ad meliorem frugem incitentur: quæ causa finalis post hominis mortem, non habet locum. Nam si ceciderit lignum ad austrum, aut ad aquilonem, in quocunque loco ceciderit, ibi erit. *Eccles. XI, 3.* Sic etiam liberis impiis sunt comminationes factæ; sed tamen Deus in suo verbo comminatur nusquam, se ab illis, ob patrum malefacta, graviores in inferno pœnas sumpturum.

51. Neque vero nobis hic adversantur dicta, *Gen. IX, 25. Deut. XXVIII, 18. Sap. III, 16.* Nam quod attinet dictum *Gen. IX, 25.* Chanaan (ipsiusque posteri) maledictus fuit aut quoad maledictionem *æternam*, aut *temporariam*. Si *prius*, non potest id ita intelligi, quasi Chanaan & posteri ejus, ob peccatum patris Cham, simpliciter fuerint condemnati, nedum ad graviores inferni pœnas rapti: Cæteroqui falleret (quod absit) dictum Jehovæ, *Ezech. XVIII. & XXXIII. capp.* Quin etiam omnes & singulos Chananæos illud maledictionis fulmeniciisset: quod secus est, ut testatur exemplum mulieris Chananææ, *Matth. XV, 22. 23.* &c. Quod si igitur vel maxime hic intelligeretur æterna maledictio; non tamen statim hinc sequeretur pœnarum infernalium in filiis ob peccata patrum, *augmentatio & exasperatio:* sed patrum & filiorum in peccatis & suppliciis infelix *consociatio*

iatio & *adunatio:* de qua vide etiam *Pſ. CIX, 6-9. &c.* & *Matth. XXIII, 35. 36.* & *XXVII, 25.* Sin *poſterius* hic locum habet, tum nihil contra nos militat, ſed pro nobis: quippe qui dicimus, *malignos* filios puniri *temporaliter* ob crimina ſuorum patrum, ut paulo poſt evidentius patebit.

52. Quod autem maledictio, h. e. infelicitas & miſeria temporalis, hic intelligatur, conſtat. 1) *Ex prophetica appoſitione: ſervus ſervorum erit fratribus ſuis.* Quæ profecto mundanæ ſervitutis eſt deſcriptio. 2) *Ex completione.* Nam Chananæi ſunt tributarii facti, *Joſ. XVI, 10.* & *XVII, 13. Jud. I, 28. 29.* & internecioni deſtinati, *Num. XXXIII, 52. Deut. VII, 2. 16. non innocentes*, ſed malitioſiſſimi peccatores & idololatræ exiſtentes, *Levit. XVIII, 24. 25. Deut. IX, 4. 5.* & *XVIII, 12.* & *XX, 17.* & *Exod. XXIII, 24.*

53. Quod item concernit dictum *Deut. XXVIII, 18.* Reſp. Tantum ibi dicitur maledictus fructus ventris hominum (*præcepta Dei prævaricantium.*) Intelligitur enim aut ſoboles pia, aut impia. Non pia. Quia 1) filius (*pius & inſons*) non portabit iniquitatem patris. *Ezech. XVIII, 20. Jonathan* fuit pius filius *Saulis*, impii patris, *1 Sam. XIV, 1.* & alibi: *Ezechias*, *Achabi*, *2 Reg. XVI, 1.* &c. & *Joſias*, *Ammonis*, *2 Reg. XXI, 24.* & *XXII, 2.* Et tamen illi non fuerunt ob patrum flagitia maledicti & damnati. E. intelligitur ſoboles impia, quæ *tum* propter paternam & ſuam malitiam, eſt maledicta, in hac vita, *quoad omnis generis miſerias; tum* propter *propria* peccata, cum finali impœnitentia conjuncta, in futuro ſeculo *quoad damnationem;* & infernales cruciatus, niſi reſipiſcat.

54. Dictum *Sap. III, 18. 19.* loquitur de ſpuriis flagitioſis: idque, 1) liquet ex *litera.* Dicuntur enim τεκνα πονηρά v. 12. & v. 19. ſubjicitur: γενεᾶς ἀδίκȣ χαλεπὰ τὰ τέλη. Nec mirum eſt, ſpurios plerumque diſſolutos eſſe, cum iis deeſſe ſoleat liberalis educatio. 2) *ex exemplorum evidentia.* Nam infans Davidis, *extra matrimonium*, ex Bethſabea ſuſceptus, fuit ſalvatus, ut colligitur ex *2 Sam. XII, 23.* ubi David dicit, ſe migraturum ad ſuum puerulum.

Non

Non autem David intellexit infernum, in quem velit vadere, ibique suum puerum deprehendere. Et Jephte fuit spurius, *Jud. XI, 1.* & tamen sanctis *justitiam operatis, & repromissiones assecutis*, annumeratur, *Hebr. XI, 32. 33.* Spurii igitur, *si proprias* ἀνομίας in impoenitentia perpetuent, vel etiam *imitatione paternorum criminum exulcerent perseveranter*, non habebunt spem, nec solatium in die Διαγνώσεως, agnitionis & judicii: imo ante mortem εἰς ὀδὲν computantur, & sine honore sunt. Vnde spurius prohibetur venire in coetum & congregationem Jehovæ, *Deut. XXIII, 1. 2.* siquidem eos, qui a matre aut patre non bene nati sunt, indelebilia sequuntur δυσγενείας opprobria per omnem vitam, PLVTARCH. *l. 1. de Educat. pueror.* Proinde & CICER. *Tom. 2. in Orat. pro Rosc. Amerino p. 29. lit. b.* Erucum sugillat, quod non sit certo natus patre. Καλὸς γὰρ παῤῥησίας θησαυρὸς εὐγένεια. PLVTARCH. *loc. citat.*

55. Ante satisfaciam objectioni, quam hoc theorema concludam: Nam si Deus ante mortem temporalem, in hac vita sobolem pravam, ob pravorum parentum noxas, quibus, vel aliis, & ipsa scatet putetque, plectit (ut mox probabo) ergo et post mortem temporalem, in infernalibus flammis, rigidius eandem propterea torquet. Resp. Negatur connexio: quia est Elenchus parium. Nam progeniem & prolem malignam, paternæ malitiæ & nequitiæ vestigia prementem, vel aliis flagitiis se polluentem, ob patrum ἀδικίαν, Deus in hac vita punit, ut 1) parentes, hoc Dei judicium contuiti. 2) ut ipsi filii, poenis his afflicti. 3) ut alii etiam, a lege divina exorbitantes, hinc occasionem arripiant, a peccatis recedendi, & *dum fores gratiæ adhuc patent*, ad Deum revertendi. Quæ Dei judicia sæpe sunt sensibus etiam nostris obvia & pervia: quæ vero in altero seculo (ubi etiam fores clementiæ Dei sunt occlusæ) obtingunt, non ita patula & aperta sunt. *Lucerna ergo pedum nostrorum sit verbum Dei, quod quia divinam paternorum scelerum vindictam in hoc seculo ad filios, scelere & nequitia nobilitatos, extendit, non item in altero seculo: fas est, ut in hac patefactione acquiescamus ultro.*

56. Tantum de tertio: quartum theorema sequitur tale: *Filiis & posteris nefariis, ob patrum vitia & scelera, quatenus ipsi illa eadem habent, vel similia patrant, omnis generis pœnæ*, proprie dictæ, *sæpe* in hoc seculo *a Deo irrogantur*. Constat id 1) *ex perspicuis Dei comminationibus & effatis, Exod. XX, 5. & XXXIV, 7. Num. XIV, 18. Deut. V, 9. Ps. XXXVII, 28. Es. LXV, 7. Job. XXVII, 13. 14. &c.* 2) *ex indubiis exemplis*. Nam ob primorum parentum peccatum leguntur puniti esse omnes & singuli posteri, *Rom. V, 12.* adeo ut solus Christus ab hæreditate originalis pravitatis excipiendus sit. Quamvis enim hodierni Jesu vitæ Mariam virginem a labe peccati originalis eximere satagant, uti etiam BELLARM. desudat lib. 4. de amiss. grat. & statu peccati c. 15. 61. 17. qui tam frontem perfricuit, ut eandem a peccatis insuper venialibus immunem pronunciet. l. 1. de amiss. grat. & statu peccati c. 6. tamen veteres Papistæ cordatiores contrarium docuerunt indubie. Vide vel ipsum Jus Canonic. de consecrat. dist. 4. can. 3. & *Gabrielem de Bareleta*, in sermonibus suis, excusis in officina *Henrici Gran*, mense majo ann. 1514. ubi & testimoniis divinis & Canonistarum & Religiosorum, ut Eremitarum, Carmelitarum, Carthusiensium, Cistercienfium, & Prædicatorum admirabiliter & solerter probat, Mariam virginem non solum vitio & peccato originali, sed & actualibus delictis maculatam fuisse. Idque nos quoque dicimus, *non Mariæ virginis infamandæ*: sed salvo ipsius honore, *divinæ veritatis propagandæ* gratia.

57. Adferri plura possunt huc exempla. Nam ob crimina patrum suorum puniti sunt liberi *in primævo mundo, Gen. VII, 12.* ut & domus *Pharaonis, Gen. XII, 17.* & filii *Sodomitarum, Genes. XIX, 15. Chananæorum, Deut. XX, 17. Jerichunticorum, Jos. VI, 21. Babyloniorum, Ps. CXXXVII, 9. & Es. XIII, 16. 17. 18. Judæorum, Jer. XI, 22. & XIV, 16. & Matth. XXVII, & 25.* Danielis *inimicorum, Dan. VI, 24. Tyriorum & Sidoniorum, Joël. III, 8.* Item filii *Giezi, 2 Reg. V, 27. Achan, Jos. VII, 24. Ezechiæ, 2 Paral. XXXIII, 11. & Es. XXXIX, 7. Sedechiæ, Jer. XXXIX, 6. Amalec, 1 Sam. XV, 3. 8. 33. Baasa, 1 Reg. XVI, 3. 4. 11. Joram, 2 Paral. XXI, 14. 15. 17. Gedeonis,*

Judic.

Judic. VIII, 27. & IX, 5. Saulis, 2 Sam. XXI, 1. 6. 8. 9. &c. Talia exempla plurima in Bibliis occurrunt.

58. Nec tacenda prorsus sunt, quæ Turcis, Judæis &c. nostro contingunt adhuc seculo. Digna profecto sunt peccatis nostris supplicia, si Deus totam aliquam provinciam aut gentem (propter verbi divini contemtum) ita punit, ut hoc ingens malum *etiam in ipsorum posteritatem redundet:* ut est videre in obstinatis & perditissimis hominibus, Judæis &c.

59. Et nonne Deus in Papistarum posteros adhuc animadvertit ob majorum suorum noxas? Equidem D. LVTHERVS in cap. 2. ad Gal. p. 125. edit. in 8. Horribilis, *inquit*, & infinita est ita Dei, quod tot seculis puniverit ingratitudinem & contemtum Evangelii & Christi in Papistis, tradendo eos in reprobum sensum, ut in totum abnegato, quantum ad usum ejus attinet, & blasphemato Christo, in locum Evangelii receperint abominationes regularum & traditionum humanarum &c.

60. Sic sæpe integræ familiæ vel repente vel pedetentim omnino abolentur, vel saltem ad paupertatem ignominiose rediguntur, variosque sortis iniquæ casus miserandum in modum experiuntur, non equidem ex absoluto Dei odio (diligit enim Deus omnia, quæ sunt, et nihil odit eorum, quæ fecit, *Sap. XI, 25.* Nullum, inquam, hominem odit Deus *simpliciter & absolute*, sed propter peccatum, *Ps. V, 7.*) neque ob peccata *mere aliena:* sed ex justo Dei judicio, peccata ipsorum *propria*, et majorum flagitia, quæ *imitati* sunt, *justissime* vindicandis, *Jer. XI, 20.*

61. Vbi si non omnium Dei factorum rationem accurate reddere scimus, memores simus verborum GREGORII in Jobi *c. 9. Tom. 1. Authoris* facta, *inquit ille*, semper *indiscussa veneranda sunt: quia injusta nequaquam esse possunt. Rationem quippe de occulto ejus consilio quærere, nihil est aliud, quam contra ejus consilium superbire. Cum ergo factorum causa non deprehenditur, restat, ut sub factis illius cum humilitate taceatur; quia nequaquam sufficit sensus carnis, ut secreta penetret majestatis. Qui*

 ergo

ergo in factis Dei rationem non videt, infirmitatem suam conside-rans, cur non videat, rationem videt.

62. Tam igitur apertum est, Deum parentum flagitia plectere in pessimis filiis, ut etiam PLVTARCH. de sera Numin. vindicta scribens, id agnoverit, inquiens: *οὐ πάντα τὰ τῶν τεκόντων σφάλματα εἰς τοὺς ἐκγόνους οἱ θεοὶ τρέπουσιν. Ἀλλ᾽ἐὰν μὲν ἐκ φαύλου γένηται χρηστὸς, ὥσπερ δύεκτικὸς ἐκ νοσώδους, ἀφεῖται τῆς τοῦ γένους ποινῆς οἷον ἐκ ποιότητος τῆς κακίας γενόμενος.* Νοσσῷ (vel *νέῳ*) *δὲ εἰς ὁμοιότητα μοχθηροῦ γένους ἀναφερομένῳ, προσήκει διήπουθεν ὡς χρέα κληρονομίας διαδέχεσθαι τῆς πονηρίας τὴν κόλασιν.* Hoc est, non omnia parentum delicta in posteros dii convertunt. Sed si ex pravo nascitur probus, velut sanus ex morbido, is pœna generis solvitur: quippe extra qualitatem malitiæ constitutus. Quod si juvenis in similitudinem improbi generis relabatur, decet equidem, ut sicut in hæreditatis æs alienum; ita in nequitiæ pœnam succedat.

63. Cæterum Deus punit peccata patrum non duntaxat in filiis, sed etiam in eorum animalibus brutis et bonis aliis: vide *Jos. VI, 21. Deut. III, 7. Ezech. XIV, 13. 14. 16. 19. 21.* et passim. Vbi si sic objicias: Quicquid est capax pœnæ, id est particeps culpæ. Bestiæ sunt capaces pœnæ. E. Resp. Propositionem laborare Elencho a dicto secundum quid, ad dictum simpliciter. Nam ita est restringenda: Quicquid est capax pœnæ, scil. *propter seipsum, & ob propria flagitia*, id est capax culpæ et peccati. Nam si absque hac restrictione Propositio efferatur, erit falsa; siquidem propter hominum peccatum *terra* dicitur maledicta, *Gen. III, 17.* et desolata, *Ezech. XIV, 16.* et ob sacrilegium Achan, ipsius *tabernaculum* et cuncta *supellex* fuit combusta, *Jos. VII, 24.* et ob peccata Sodomorum, sunt ædificia, et cuncta terræ virentia subversa, *Gen. XIX, 15.* et ob peccata Tyriorum, muri et turres sunt destructæ, *Ezech. XXVI, 9.* An autem propterea sequitur, ipsam terram, tabernaculum, ædificia, frutices, muros, et turres, legem Dei esse transgressas? Absit.

64. Pro-

64. Proinde vides, axioma hoc: *Quicquid punitur, id peccavit*, ita esse limitandum: Quicquid punitur, scilicet *propter seipsum, ita ut pœna in illo terminetur*, id peccavit. At bruta non propter seipsa puniuntur, nec in iis pœna terminatur. Nec enim Decalogus ipsis est promulgatus, ut ei vel conformiter vel difformiter vivere queant: nec præelectionis, quæ est πράξεως ἀρχή, sunt capaces, quamvis τὸ κινεῖσθαι, ὁρμᾶσθαι καὶ φέρεσθαι, & *instigari* ipsis competant. Vide ARISTOTELEM *lib. 6. Ethic. Nicomach. c. 2.* & SCALIG. *Exerc. 307. sect. 3. 4.* Nec denique peccatum, *proprie dictum*, vel vera synonymia, vel recta analogia, *cui quid rei subsit*, eis convenit, quicquid etiam contra fingat, & quacunque etiam ratione suam sententiam pingat VORSTIUS *in Notis ad Disputat. 9. p. 392.* & in Amica collatione *sect. 90.* Tolluntur igitur bestiæ, *non peccatorum participatione*, *sed possessorum suorum afflictatione*, nempe ut possessores mali in illis puniantur, quorum felicitate lætabantur; utque authorem Deum, quem per beneficia cognoscere noluerunt, saltem inter supplicia sentiant, & peccata detestari incipiant. Confer *Jus Canon. in glossa 1. q. 4. can. 11. & Thom. 2. 2. q. 108. art. 4.*

65. Porro sicut Jehova ob sceleratos parentes interdum punit liberos: ita ob homines nequissimos, & sub peccatum venundatos, ut nequiter delinquant, interdum plectit alios, sive ipsos in iisdem peccatis æmulantes, sive aliis peccatorum sordibus se contaminantes: de qua suppliciorum μετοχῇ consule *Jud. VIII, 27. Num. XVI, 32. Gen. XII, 17. Jer. XV, 3. 4. & XVIII, 21. & Amos VII, 17.* ut vere scribat HESIODUS: πολλάκι καὶ ξύμπασα πόλις κακοῦ ἀνδρὸς ἐπαυρεῖ.

66. Si quaeras, cur & quomodo unus propter alterum torqueri & plecti queat? Resp. *Ideo & hoc modo* (ut alios modos jam taceam:) Quia 1. peccatum unius derivatur in alterum, vel per carnalem generationem, vel per imitationem, vel per confensionem, vel per conniventiam, &c. *Per carnalem generationem;* quia *semper* peccatum originis, & *sæpe* aliorum etiam peccatorum *semina* traducuntur in liberos. Neque enim est *universali-*

versaliter & *indistincte* verum, quod LOMBARD. *l. 2. dist. 33. lit. e.* & BELLARM. *l. 4. de amiss. grat. & stat. peccati c. 18.* docent, unum tantum, nempe primum protoplastorum peccatum, ad posteros carnali generatione transmitti. Nonne enim quandoque ex libidinosis & furacibus parentibus proseminantur & propagantur in liberos (non quidem *ipsi vitiorum personalium habitus*, sed) inclinationes & propensiones ad libidinem & furtum? Id equidem testatur experientia. Confer AVGVST. *Tom. 3. in Enchirid.* ad LAVRENT. *c. 46. p. 74. & Tom. 7. l. 6.* contra IVLIAN. PELAG. *c. 10. p. 437.*

67. *Per imitationem*; quia filii saepe imitantur peccata parentum, & servi peccata dominorum, ut audacius peccent: sicut Israëlitae pejus dicuntur operari, quam patres eorum, *Jerem. VII, 26.* & *XVI, 12.* Vnde GREGORIVS *Tom. 1. in cap. 21. Jobi p. 513.* ait: Quisquis pravi parentis iniquitatem *imitatur*, etiam *ex ejus delicto* constringitur. Quisquis autem parentis iniquitatem non imitatur, nequaquam delicto illius gravatur. *Vnde fit, ut iniquus filius iniqui patris non solum sua, quae addidit, sed etiam patris peccata persolvat*; cum vitiis patris, quibus iratum dominum non ignorat, etiam suam adhuc malitiam adjungere non formidat. Et justum est, ut *qui sub districto judice vias parentis iniqui non timet imitari*, cogatur *in vita praesenti* etiam *culpas parentis iniqui persolvere*, &c.

68. Per *consensionem*; Cum enim quisque malis *consentit* ad malum, jam unam causam habet cum eis, & *totius societatis malorum* fit *una persona*: ac per hoc, cum *simul* pereunt, simulque damnantur, *causa sua* & persona sua cuique praejudicat, non aliena, inquit AVGVST. *Tom. 7. ad Donatistas post Collat. c. 7. p. 234.*

69. *Per conniventiam* denique peccati aliorum evadimus κοινωνοί; Quia saepe contra officium nostrum, connivemus in peccatis aliorum, nec ea, prout nos decet, redarguimus, ut probat exemplum Heli, *1 Sam. II, 30.* et vigilum, *Ezech. III, 18.* Breviter: *ubi viget κοινωνία peccati & culpae, ibi valet κοινωνία supplicii & poenae.* Quisquis ergo aliorum *participiat crimina*, is juste simul luit supplicia. Haec *prima* ratio.

70. 2.

70. 2. Quia unus homo *temporaliter* eſt res ſaepe alterius, et ita unus in pœnam alterius punitur. Sic ſervi ſunt quaedam res dominorum, et filii parentum. Vnde ARISTOT. *l. 8. Ethic. Nicom. c. 12.* inquit: οἱ γονεῖς στέργουσι τὰ τέκνα, ὡς ἑαυτῶν τι ὄντα τὰ δὲ τέκνα τοὺς γονεῖς ὡς ἀπ᾽ ἐκείνων τι ὄντα etc. parentes diligunt liberos, ut qui ſui quidpiam ſint: liberi vero parentes, ut ab illis quidpiam. *Hæc* ARISTOT.

71. *Vt itaque Deus apertiſſime ſignificet, ſe non tantum eſſe* ἀναμάρτητον, *ſed etiam vehementiſſime odiſſe peccata, ideo illa punit tum in ipſis parentibus, tum in ipſorum liberis* (et aliis.) Qua ratione parentes ipſi graviſſime cruciantur: Proinde CHRYSOST. *hom. 29. in Gen. Tom. 1. p. 237.* docet, quod *Cham* multo tulerit acerbius filii ſui maledictionem, quam ſi fuiſſet ipſimet inflicta. Haec enim eſt vis & στοργὴ paterna, ut magis filiorum, quam ſuis calamitatibus affligentur. Et GREGOR. *Tom. 1. in cap. 21. Jobi p. 513.* inquit: *Plerumque percutitur pater in filiis, ut acrius uratur.*

72. Quod ſi igitur, *inquias*, non tantum filii, nepotes etc. ſed etiam extranei in aliis generationibus, ob peccata aliorum, quae imitantur, ſaepe divinitus puniuntur, quare Deus, *Exod. XX, 5.* tantum patrum, et *tertiæ, quartæque* generationis mentionem injecit? Reſp. *Patrum* ſpecialiter meminit; quia filii ſuos parentes maxime ſolent imitari: quippe inter quos eſt amor intenſus et quaſi unitas quaepiam. Et filii in peccatis parentum nutriti, ad peccandum ſunt proniores, tum propter naturae et temperamentorum conſenſionem: *naturæ enim ſequitur ſemina quisque ſuæ;* tum propter conſuetudinem: tum etiam propter exemplum et authoritatem Patrum. *Tertiam* vero et *quartam generationem* ideo commemoravit; quia ſolent parentes interdum tamdiu vivere, donec filios tertios et quartos habeant, ut teſtatur vel exemplum Jobi *c. XLII, 16.* Et ſic mutuo videre poſſunt & filii peccata parentum ad imitandum, & patres pœnas filiorum ad dolendum. Confer LOMBARD. *l. 2. diſt. 33. lit. L. & Thom. 2. 2. q. 87. a. 8.* Haec vero in extraneis non ita locum reperiunt. Filii enim ſunt

quaedam

quaedam res parentum, non tantum quoad corpus, ſed etiam *quoad animam.* Falſiſſimum enim eſt, omnes hominum animas *immediate* eſſe a Deo, ut tamen docet etiam *Thom. 1. 2. q. 81. a. 2. ad. 1.* & alibi. Aſt extranei non ſunt res & poſſeſſio talis. Deinde domeſtica exempla & domeſticae poenae magis movent: Vnde quando aliquis nutritus eſt in peccatis parentum, vehementius ea ſequitur, & ſi ex eorum pœnis non eſt deterritus, obſtinatior videtur; ideoque etiam majori dignus eſt pœna. Quae ratio etiam in extraneis et peregrinis non ita valet.

73. Haec igitur cauſa eſt, cur Deus *Exod. XX, 5. patrum generationisque tertiæ & quartæ* duntaxat mentionem fecerit. Myſticam autem loci. *Exod. XX, 5.* explicationem, quam vide apud LOMBARD. *l. 2. diſt. 33. lit. M.* non admittimus. *Non enim prius diſcedendum eſt ab expreſſa litera, quam Spiritus S. inde deflectat, tropicæque & myſticæ expoſitionis veſtigia oſtendat.* AVGVST. *q. 42. in Deut.* hanc etiam iſtius loci interpretationem habet, quod nominatim Deus tertiam et quartam generationem exprimat, id inde eſſe, quia ſeptenarius, qui ex ternario et quaternario conjunctis oritur, ſit numerus perfectionis, ut hac ratione perfectum Dei odium adverſus peccantes ſignificetur.

74. Hactenus itaque ξὺν θεῷ ex praeſcripto verbi Dei de propoſita *Quæſtione* diſſerui, ea quae revelata ſunt, adferendo; reliqua, quae abſtruſiora ſunt, relinquendo. *Quæ enim Deus occulta eſſe voluit, non ſunt ſcrutanda: quæ autem manifeſta fecit, non ſunt neganda, ne & in illis illicite curioſi, & in iſtis damnabiliter inveniamur ingrati,* ut cum AMBROSIO loquar ex *Lib. ejus 1. de vocat. gent. c. 7.* Faxit longanimis Deus, ut piorum parentum pietatem aemulari, impiorum impietatem averſari, et in juſtificante fide ex hoc miſeriarum ergaſtulo, in coeleſte beatitudinis aeternae domicilium emigrare, et noſtrum Deum trinunum de facie ad faciem in aeternum contueri, ipſiusque dulcedine, gratia, et gloria frui queamus. Amen.

DISPVTATIO III

EXHIBENS

EXPLICATIONEM QVAESTIONIS

AN PECCATORVM A DEO IMPETRATA REMISSIO PER INSEQVENTIA PECCATA POSSIT FIERI IRRITA?

AD THEOLOGICAM ΣΥΖΗΤΗΣΙΝ

PVBLICE PROPOSITA

AVTHORE ET PRAESIDE

JVSTO FEVRBORNIO

S. S. THEOLOGIÆ DOCTORE, EJVSDEMQVE PROF. ORDINARIO, STIPENDIAR. EPHORO ET ECCLESIASTÆ IN ACADEMIA GIESSENA

RESPONDENTE

IOANNE RVMPFELDIO

IDSTEINIANO-NASSOVIO


IN AVDITORIO THEOLOGICO

DIE IV. MARTII MDCXVIII



GIESSÆ ET LIPSIÆ

MDCCXLVI



TRANSITIO



In secunda disputatione pro virili planum feci ζήτημα: *An Deus posteros, filiosque & alios puniat ob flagitia, a majoribus, parentibus, & aliis patrata?* Vbi quia juxta ductum S. Scripturæ dixi, nullum vere piorum hominum remissione suorum peccatorum a Deo per fidem in Christum gratis donatorum, *qua fidelis is est & manet*, ob pessima aliorum hominum facinora a Deo immissam sustinere pœnam, quæ quidem *ipsius pii hominis respectu*, pœna, *exquisite dicta*, sit (tum enim pœna est nihil aliud quam punitio culpæ, *non remissæ:* At vero in Christum credenti omnia sua peccata *sunt remissa*) quamvis pœna, presse dicta, illa queat esse, respectu aliorum hominum impiorum, qui suis criminibus, nequiter admissis, Deum atrociter ad iram concitatum, commoverint admissionem alicujus pœnæ gravissimæ: jam restat explicanda quæstio: *An remissio peccatorum, quam vere pius homo per fidem a Deo nactus est, per alia insequentia ipsius maleficia, possit fieri irrita?* Si enim quæstionis *affirmatio* est vera; sequitur inde, quod vere pius homo *quandoque* proprie dictam sustineat pœnam, ob atrocia majorum, parentumque suorum aliorumve delicta divinitus inflictam; tum scilicet, quando *is malitiose lapsus* remissionem peccatorum suorum sibi fecit irritam & inanem.

Sin *negatio* eſt vera; conſequens erit, quod vere fidelis homo reſpectu ſui ipſius ſpectatus, *nunquam* patiatur pœnam, ἀκριβῶς acceptam & a Deo ipſi immiſſam. Vbi enim eſt remiſſio peccatorum immutabiliter (ut eſt reſpectu Dei) ibi etiam eſt condonatio ſuppliciorum, ſtricte acceptorum, invariabiliter.

THESIS I.

Quare Dei clementia adjutus decrevi jam ex unius & ſolius Dei infallibili verbo prophetico & Apoſtolico, utpote unica fidei Chriſtianæ norma, hoc dilucidare erotema: *An divina peccatorum noſtrorum remiſſio, a Deo impetrata, per alia inſequentia noſtra peccata poſſit fieri irrita?* Siquidem e *prava*, hoc eſt, contra Dei verbum concepta, quæſtionis hujus ſive affirmatione ſive negatione poſſit alicui anſa dari, & janua aperiri, ſive ad deſperationis præcipitia, ſive ad Epicureiſmi flagitia, ſive ad alius mali diverticula. Quibus incommodis, ceu vulneribus exitialibus, tum quæſtionis hujus terminos exponendo; tum duo theoremata opponendo, eaque ſtabiliendo, mederi ſtudebo.

2. In explicatione *terminorum quæſtionis* inprimis, 1) notandum & explicandum eſt *prædicatum: irritum fieri.* Notat enim non-ratum & validum manere, ſed irritari & infirmari καταργεῖσθαι, aboleri, tolli, inanem, inefficacem & inutilem reddi (vide *Rom. IV, 14. Gal. III, 17. & V, 4.*) & ἀθετεῖσθαι: ſicut qui irritum aliquid facit, dicitur id ἀθετῶν *Gal. II, 21. & III, 25.* Hebræi utuntur etiam verbo הֵנִיא rupit & abrupit. Vide *Num. XXX, 6. 9. 12. & XXXII, 7. 9. & Pſ. XXXIII, 10,* (cum quo verbo conſonat verbum Græcum νεύω & ἀνανεύω) & הֵפִיר *Pſ. XXXIII, 10. & LXXXIX, 34.* Sic & *JCtus* dicit, *irritum fieri* teſtamentum, quoties ſtatu teſtatoris mutato, ipſo jure teſtamentum ruit. Confer *l. ſed & ſi quis, ff. de injuſto & rupto*, &c. Admitto autem & ſuo loco diſcrimen inter τὸ *eſſe* irritum, & τὸ *fieri* irritum. Nam *irritum eſſe* dicitur, quod nunquam conſtitit, ſed infirmum ſemper ſua ſponte fuit. Aſt *irritum fieri* id ſpecialiter dicitur, quod cum antea jure conſtitit, everſum eſt. Confer *l. 1. Teſtamentum ff. eodem.* & ibi interpretes.

3. Sen-

3. Sensus igitur quæstionis hujus: *An remissio peccatorum possit fieri irrita*, hic est: *An remissio peccatorum, quæ homini credenti per fidem fuit rata & ab eo adepta, possit deinceps aboleri & inefficax reddi, ita ut homini isti lapso postea peccata illa denuo imputentur?* Hinc & ipse ZANCHIVS in *Miscellaneis p. 283. &c. edit. Neapol. anno 82.* negans remissionem peccatorum per alia insequentia peccata posse fieri irritam, asserit, *remissa peccata non amplius venire in judicium Dei, nec postulari ad pœnam.* Et p. 288. ait. Si potest fieri irrita (remissio peccatorum) *quovis modo*, nempe *vitio nostro*, ergo Deus peccata, semel oblivioni tradita, *in memoriam revocabit*, id est, *puniet.* &c. Et POLAN. *l. 1. partit. Theol. p. 172. edit. Basil. an. 99. & lib. 6. syntag. Theol. c. 36. p. 363.* Remissio peccatorum, *inquit*, semel a Deo data, nunquam fit irrita, h. e. *peccata semel remissa, nunquam amplius deinceps imputantur:* allegatque *Ezech. XVIII, 21. 22. Es. XLIV, 21. Mich. VII, 19. Jer. XXXI, 35.* de quibus post dicam. Et SIBRANDVS LVBBERTVS in *Comment. ad 99.* errores VORSTII *p. 525. & 526.* quæstionem, quam format ita: *An peccata, quæ Deus semel vere & reipsa remisit, post remissionem semel factam, ad pœnam, proprie sic dictam, exigere & revocare velit?* etiam inficiatur. LOMBARD. tamen *l. 4. sent. dist. 22. lit. a.* Et jus *Canon. 33. q. 3. dist. 4. & Thom. 3. q. 88. art. 1.* citant testimonia nonnullorum patrum, qui docuere peccata semel dimissa redire & ulterius replicari & reputari ad pœnam & vindictam, si replicentur. Quæ Calvinistarum sententiæ repugnant.

4. Illorum vero sententia, quam narrat LOMBARD. *l. 4. dist. 14. lit. b. & dist. 22. lit. b.* non *satisfacit* verbo Dei. Videtur illis absonum, *ut peccata dimissa iterum imputentur, proindeque statuunt, neminem pro peccatis semel dimissis, iterum a Deo puniri.* Ideo autem dicunt peccata dimissa redire & imputari, quia *propter subsecutam ingratitudinem* aliquis ita reus & peccator & immundus constituatur, ut ante fuerat, *ac si* peccata illa redirent. Cui sententiæ, etiam subscribit RICHARDVS THOMSON: *Anglus* in sua *diatriba* de amissione & intercisione gratiæ & justificationis

p. 11. licet in illa statuat & probet contra Calvinianos, veram fidem & gratiam justificationis posse amitti vel intercidi.

5. Thomas, *3. q. 88. art. 1.* hæc plenius aliquanto proponens inquit: Per peccatum, *sequens* pœnitentiam, *redit quodammodo* reatus peccatorum *prius* dimissorum, *non in quantum causabatur ex illis peccatis, prius dimissis, sed* in quantum *causabatur ex peccato ultimo* pertrato, quod *aggravatur* ex peccatis *prioribus.* Et hoc non est, peccata dimissa redire *simpliciter*, sed redire *secundum quid*, in quantum scilicet *virtualiter* in peccato sequenti continentur. Vnde & art. 2. docet, quod peccata, per pœnitentiam dimissa, per sequens peccatum (*mortale*) redire dicantur, *quatenus ingratitudinis ratione, eorum reatus in sequenti culpa virtualiter contineatur.* Hæc ille.

6. Non *exhauriens plenitudinem verbi divini*, quod aperte asserit, remissionem peccatorum acceptam irritari & labefactari per insequens studium & desiderium nequiter delinquendi, & per patrata malitiose delicta, ut paulo post docebo. Non igitur peccata duntaxat ideo dicuntur redire, quod ingratitudo & ἀπείθεια proterva subsecuta hominem, remissione peccatorum prius per fidem in Christum donatum, Dei gratia spoliet, & pœnæ æternæ reum, ut ante divinam transgressionum suarum condonationem fuerat, faciat: *sed etiam propterea*, quod prius impetrata peccatorum venia concutiatur, & priora peccata πάλιν denuo & de integro homini peccatori, qui flagitiis enormibus se rursus polluit, imputentur, & ad vindictam revocentur. Hoc 1, hic est notandum.

7. 2. Observandum est discrimen inter insequentia peccata, quippe quæ sunt vel *regnantia*, quando *caro* dominatur in homine; quod dominium illa *etiam* in homine *renato* obtinent, quando ille carnis opera designando, excussit regimen Spiritus S. vel *non-regnantia*, quando *Spiritus S.* in homine renato imperium habet, etsi ille peccata *infirmitatis* designet. Non per *hæc* irritatur & abolетur peccatorum remissio, per fidem impetrata: secus ea in omnibus piis, *qua tales sunt & manent*, redderetur

irrita,

irrita, vana, & inanis: quia & *justus* peccat (ex infirmitate) septies, *Prov. XXIV, 16.* i. e. *multoties.* In *multis* enim labimur *omnes. Jac. III, 2.* sed per *ista* (regnantia flagitia) tollitur & evacuatur, non autem *tantum* per peccatum in Spiritum S. Nam si *secundum carnem* vixeritis, *moriemini*, inquit Paulus *Rom. VIII, 13.* Vbi loquitur de illis, qui *in præsenti* non sunt mortui, sed qui *morientur.* At non-renati in præsenti sunt in peccatis mortui, *Eph. II, 1.* Ergo non loquitur de non-renatis, sed de renatis: in quibus nimirum est nihil condemnationis, sed qui sunt in Christo Jesu, & non secundum carnem ambulant, sed juxta Spiritum, *Rom. VIII, 1.* de quibus asserit, *quod sint morituri*, si secundum carnem vixerint, i. e. si in carne fuerint, *Rom. VIII, 8.* & secundum carnem militarint, *2 Cor. X, 3.* & peccato obedierint, *Rom. VI, 12.* illique sua membra arma injustitiæ accommodarint, vers. 13.

8. Licet vero cum S. Scriptura distinguam inter *peccata regnantia & non-regnantia*: non tamen approbo *papisticam acceptionem & intellectionem* distinctionis inter peccata *venialia & mortalia*; sicut & *Thom. III, q. 88. art. 2. ad. 2.* inquit: quod etiam peccata venialia & ipsum originale redeant, sicut et peccata mortalia, *in quantum contemnitur Dei beneficium, quod hæc peccata sunt remissa.* Non tamen per peccatum *veniale* aliquis incurrit, *inquit*, in ingratitudinem: quia homo peccando *venialiter*, non facit *contra* Deum, sed *præter* ipsum. Et ideo per peccata venialia nullo modo peccata dimissa redeunt. *Hæc ille;* pugnans cum verbo Dei; quod docet, omne verum peccatum esse ἀνομίαν, *1 Joh. III, 4.* omnis autem ἀνομία est *contra* νόμον. Imo peccatum, quod remanet in renatis, non frigide repugnat: sed ἀντιστρατεύεται bellum infert legi mentis ipsorum, *Rom. VII, 23.*

9. Quibus ita dilucidatis, & ab ambiguitatis caligine sequestratis, evidentius effulget status quæstionis, nempe: *An remissio peccatorum, quam vere credentes per justificantem fidem in Christum acceperunt, per maleficia, contra conscientiam postea deinceps ab illis patrata, possit iis fieri irrita, hoc est, ut illa re-*

missio tum non amplius iis maneat salva & rata, sed fiat ipsis irrita & cassa: proindeque priora etiam peccata illis imputentur?

10. Nos affirmamus. Calvinistæ plerique negant. Contra quos ut veritas cœlestis eo clarius defendatur, jam duo Theoremata adjungam, iisque rem totam comprehendam. *Hoc esto primum.* Deus *ipse* sua culpa *non irritat & infirmat datam a se vere credentibus peccatorum remissionem.* Idque probo I. *ab immutabili Dei constantia & veritate.* Non enim est *Deus, quasi homo, ut mentiatur, nec ut filius hominis,* ut pœniteat eum, *Num. XXIII, 19.* Et triumphator in Israël non fallet, & non pœnitebit eum: neque enim est homo, ut agat pœnitentiam, *1 Sam. XV, 29.* Et rectum est verbum Domini, & omnia opera ejus in veritate, *Ps. XXXIII, 4.* Et verbum ejus manet in æternum, *Es. XL, 8.* donaque Dei sunt ἀμεταμέλητα, *Rom. XI, 29.* neque ullum ipsius verbum fit irritum; *Jos. XXI, 45.* nec incredulitas hominum fidem Dei evacuat, *Rom. III, 3.*

11. Nec hoc argumentum inde destruitur, quod scriptura Deo quandoque *pœnitentiam* tribuit, *Gen. VI, 6. 7. 1 Sam. XV, 11. Ps. CVI, 45. Jer. XVIII, 10. & XXVI, 13. & Joël. II, 14.* Nam ut ait DAMASCEN. *dialog. de Manich. hæres. p. 563. Pœnitentia Deus affici* dicitur *more nostro,* ἡ γὰρ γραφὴ ἀνθρωπικώτερον περὶ θεοῦ διαλέγεται, πρὸς τὴν νηπιότητα τῶν ἀκουόντων. Veluti illud est (pergit DAMASCENVS) cum dicitur: *ut quid dormis domine?* Neque enim Deus dormit; sed *tolerantiam* ejus ad lenitatem, auxiliique sui dilationem, *somnum* vocavit. Qui namque apud nos dormiunt, non auxiliantur. Sic etiam se habet *pœnitentia.* Nos enim si cui pecunias dedimus, isque eis male abutitur, hujus facti pœnitet. Sic cum Deus hominem fecisset, Saulemque in regem unxisset, *illis male sese gerentibus, pœnituisse eum dicitur.* Non quod in Deum cadat pœnitentia (*præscivit enim, quid futurum esset*) sed quod illi *pœnitenda* facerent. *Hæc ille.*

12. Proindeque AVGVSTINVS *Tom. 6. l. 1. cont. Adversar.* legis & Prophetar. *cap. XX, p. 252.* inquit: *Pœnitentia* Dei non est

est post errorem; *ira Dei* non habet perturbati animi ardorem; misericordia Dei non habet compatientis miserum cor, unde in latina lingua nomen accepit: *Zelus Dei* non habet mentis livorem: sed *pœnitentia Dei* dicitur *rerum in ejus potestate constitutarum, hominibus inopinata mutatio.* Hæc ille. Valeat igitur hic regula ATHANASII *Tom. 2. dial. 1. de Trinit. p. 143.* ταῦτα ἀνθρωποπαθῶς μὲν λέγονται; θεοπρεπῶς δὲ νοοῦνται. Nam οὐκ ἔστι ὡς ἄνθρωπος ὁ Θεὸς, ἵνα καὶ ἀνθρώπινα περὶ αὐτοῦ τις ἐρωτᾶν τολμήσῃ, idem *Tom. 1. p. 357.* Hoc *primum.*

13. 2) Argumentum sumo *ab inductione axiomatum divinorum, quæ testantur, Deum sua culpa vitioque* (quod nullum omnino est) *non irritare ullum suum fœdus & pactum.* Videantur *Lev. XXVI, 44. 45. Jud. II, 1. Ps. LXXXIX, 35.* Nec est, ut quis objiciat, *Es. XXXIII, 8. & Jer. XIV, 21.* Ibi enim Deus non perhibetur *suo ipsius vitio* suum pactum facere irritum, sed populo videtur id irritatum: quare is Deum rogat, ne *ob peccata sua* velit illud labefactare.

14. Nec locus *Zach. XI, 10.* nobis contrarius est: Ibi enim Deus dicitur suam virgam confregisse, i. e. suam doctrinam eiusque pios doctores (Sic & *Es. XI, 4. virga* oris Messiæ notat ejus *verbum*) a populo suo *malitioso* se movisse (confer *Amos VIII, 11. & Act. XIII, 46.*) *ut irritum faceret fœdus suum, quod percusserit cum omnibus populis.* Vide *Gen. XII, 3. & Gal. III, 8.* Deo itaque, *non ipsius culpa*, sed *hominum nequissimorum vitio*, tribuitur sui fœderis irritatio & abolitio: Deo, inquam, *non peccanti* (est enim prorsus ἀναμάρτητος, *Ps. V, 57. Zach. VIII, 17. & Jobi XXXIV, 10.*) sed hominum flagitia juste vindicanti illa adscribitur. Vnde *punitio divina* dicitur Dei תְּנוּאָה, irritatio & abruptio, *Num. XIV, 34.* ubi Deus ad Israëlitas ait: *Feretis pœnam iniquitatum vestrarum quadraginta annos, ut cognoscatis abruptionem meam*, h. e. ut experiamini, me vestris sceleribus irriratum seu concitatum, a fœdere vobiscum inito, vestraque κοινωνία abruptum, vobis justas pœnas irrogare. Vnde 70. Interpretes id sic verterunt, ut intelligatis θυμὸν τῆς ὀργῆς μου. Quamuis & תְּנוּאָתִי

 reddi

reddi possit judice JUNIO & PISCATORE; *per*, *abruptionem a me*, ut sensus sit: *Ut cognoscatis* quantum malum sit, *cum homo se per scelera*, nequiter *patrata*, *a me abrumpit*. Si quis enim ὑποςείλητα, se subduxerit (peccando atrociter, *Es. LIX, 2.* & *Jer. V, 25.*) is non probatur animæ Dei, *Hebr. X, 38*.

15. Quando autem *ipse Deus dicitur suum fœdus abrumpere*, tum id Deo tribuitur per ἀνθρωποπάθειαν (hominis enim cor seu animus dicitur rumpi, i.e. frangi, *Num. XXXII, 7.* & *9.* seu *averti*: quæ *aversio*, quia *mutationem includit*, homini *proprie* competit) ad indicandam Dei voluntatem ultricem & vindicatricem, & ad ipsam etiam ultionem exprimendam. *Hoc sit secundum*.

16. 3) Argumentum in specie peto *a natura fœderis gratiæ in circumcisione cum populo veteris. Testamenti*, & *in baptismo nobiscum a Deo percussi*. Syllogismus sit talis: Si fœdus gratiæ, quod quidem adulti homines post sacramentum initiationis, per maleficia gravia fregerunt, *a parte Dei* tamen manet ratum & inconcussum; Ergo Deus *ex sua parte* non fit fœdifragus; proindeque *ratione sui* non irritam facit remissionem peccatorum. At prius. E.

17. Connexio propositionis patet: Assumptio probatur 1) *a circumcisione*, in qua cum circumcisis Deus dicit *fœdus gratiæ, Gen. XVII, 7.* Nam & circumcisio respexit τὸν λόγον *incarnandum*, eumque certa ratione præfiguravit. Confer *Col. II, 11.* Hoc fœdus *ex parte Dei* mansit validum, licet homines deinceps peccarint. Hinc circumcisi argumentum consolationis suæ in omni sua vita petiverunt a percepta in infantia sua circumcisione, ut testatur exemplum *Davidis*, *1 Sam. XVII, 26.* *Jonathæ*, *1 Sam. XIV, 6.* & *populi Nehemiæ IX, 8.* non tantum in afflictionibus *externis*: verum etiam *internis*, videlicet adversus peccata: siquidem circumcisio fuit & sigillum *justitiæ fidei*, *Rom. IV, 11.* utpote quam in circumcisione, & per illam, circumcisi fuerunt adepti.

18. Et

18. Et licet foemellæ fuerint circumcisionis in seipsis incapaces: tamen *ex ordinatione Dei* (non ipsa *nativitate ex circumcisis parentibus carnali: φύσει* namque fuerunt & foemellæ iræ Dei subjectæ, *Ephes. II, 3.* & quod ex carne natum est, caro est, *Jo. III, 6.* Sicut igitur peccabilis nostri conceptio non est medium propagandæ gratiæ Dei regenerantis & justificantis, sed pravitatis naturalis: ita & carnalis nostri generatio est medium non *illius*, sed *hujus* in nos traducendæ) foederis hujus fuerunt participes. Nam Deus cum Abrahamo, & cum omni ejus *semine* (non solum masculino, sed etiam *fœminino*) foedus gratiæ pepigerat, *hac ratione* ut (non foemella, sed) omnis *masculus* octavo die circumcideretur, *Gen. XVII, 7. 9. 10. 11. 12. 13. 17. 19.* & *Act. II, 39.* Quam Dei foederalem ordinationem sic etiam foemellæ V. T. intellexerunt, ut hinc optime se solari valuerint, ut ostendit exemplum Judithæ *cap. IX, 18.* Et hinc quandam ἐξοχὴν habuerint, ut docet exemplum mulieris, infirmitatis spiritu correptæ, quam Christus, *Luc. XIII, 16.* nuncupat *filiam Abrahæ*, i. e. ex Abrahamo progenitam, ejusque fide ditatam & *fœderali Dei gratia dotatam*; quemadmodum Zachæus, *Luc. IX, 9.* recensetur inter filios Abrahæ: quales dicuntur omnes credentes, *Gal. III, 7. 29.* utpote filii promissionis, *Rom. IX, 8.* & *Gal. IV, 23. 28.*

19. Quid? Nullus præputiatus debuit vesci agno Paschali, *Exod. XII, 48.* Et propterea peregrini, qui apud Israëlitas voluerunt peregrinari, si fuerunt masculi, prius circumcidi debuerunt, quam ad esum agni paschalis fuerunt admissi, vers. 48. Sicut igitur puellæ Israëlitarum & peregrinorum circumcisorum celebrarunt etiam pascha, ut colligitur ex *Exod. XII, 3. 34. & 47. 48.* quia ex ordinatione Dei speciali pertinuerunt ad populum Dei circumcisum: proindeque etiam fuerunt eorum beneficiorum participes, quæ Deus per sacramentum agni paschalis in suum populum contulit: ita eædem puellulæ, quia Deus, inito cum illis foedere gratiæ, *sic* clementer ordinarat, ut (non ipsæ, sed) masculi circumciderentur; *vigore circumcisionis, in solis masculis*, juxta Dei dispositionem peractæ, devenerunt in foedus divinæ

gratiæ

gratiæ justificantis, in ejusque *κοινωνίαν* & salutarem perfruitionem: Id quod pia consideratio circumcisionis ipsiusque institutionis, *Gen. XVII*, apertius declarabit: quam Dei peculiarem ordinationem absit, ut nostræ rationis *ἀντιλογία* vel queat, vel debeat impugnare.

20. Assumptio probatur 2) *a baptismo*, in quo & per quem cum baptizatis hominibus Deus ex immensa sua bonitate itidem pangit foedus suæ gratiæ & clementiæ, & in iis fidem salvantem accendit, per quam accipiunt omnium suorum peccatorum remissionem, Christumque, in cujus mortem, quam ipse sustinuit, baptizantur, induunt, regenerantur & salvantur; sicut hæc baptismi, juxta divinam ejus institutionem administrati, divina efficacitas & effecta leguntur, *Marc. XVI, 16. Luc. III, 3. Act. II, 38. Gal. III, 27. Eph. V, 26. Tit. III, 5. & 1 Petr. II, 21.* Quæ dicta tropologia Calvinistica non debet cauponari & offuscare, suaque divina virtute spoliare.

21. Quamvis autem homines baptisati, post perceptum suum baptismum, variis sæpe modis malitiose peccent; & ita foedus, cum Deo in baptismo initum, *ex sua parte* frangant: non tamen *respectu Dei* id frangitur, sed illæsum manet; adeoque perceptus baptismus hominibus baptizatis, si a peccatis convertantur, per omnem eorum vitam prodest, exindeque vividum adversus peccata solatium possunt haurire: non quidem ex *sola* baptismi suscepti recordatione (ut loquuntur calumniose patres Concilii Tridentini *sess. 7. de baptismo c. 8.*) quippe quæ perfunctoria, & cum impoenitentia sæpe conjuncta potest esse: sed ex divina baptismi efficacitate, quippe quæ per omnem nostram vitam valet ad remissionem nostrorum peccatorum.

22. Nam baptismi virtus describitur verbis *παντὸς χρόνου*: siquidem *salvat*, *1 Petr. III, 21. salvavit, Tit. III, 5.* & *salvabit* nos, *Marc. XVI, 16.* Baptizati namque sumus *in mortem Christi, Rom. VI, 3.* Et baptismus nos salvat *per resurrectionem Jesu Christi, 1 Petr. III, 21.* Sicut igitur virtus mortis & resurrectionis Christi

sese

ſeſe extendit non tantum ad remittenda noſtra peccata *præterita* & *præſentia*, ſed etiam ad *futura* omnia: Vide *1 Joh. I, 9.* ita percepti a nobis baptiſmi virtus & fructus totam noſtram æquat vitam, ſi modo reſipiſcamus. Et certe, ſi baptiſmi percepti nulla ſupereſſet virtus, quamprimum homo baptizatus quidem graviter delinqueret; *veruntamen per gratiam Dei reſipiſceret*: proindeque contritionis & ſatisfactionis deberet acquirere tabulam, cujus virtute & efficacitate navigaret in portum æternæ beatitudinis; tum 1) erraſſet Petrus, qui *Epiſt. 1. cap. III, 21.* docet, *ſe* etiam (nam ſe includit: *nos*, inquiens, *ſalvat, &c.*) *per baptiſmum* ſalvari: Et tamen ille fuerat horribiliter lapſus, *Matth. XXVI, 70. &c.* 2) erraſſet & Paulus, qui non ſolum lapſis Corinthiis, ſed etiam Galatis ſeductis proponit promiſſionem, conſolationem & efficacitatem percepti baptiſmi, *1 Cor. VI, 11. & c. XII, 13. & Gal. III, 26. 27.* Confer etiam *Jer. III, 1.*

23. Quod plurimis jam non libet demonſtrare: Vel enim ex dictis ſatis patet, quod fœdus gratiæ, in circumciſione cum circumciſis in V. T. & in baptiſmo cum baptizatis hominibus in N. T. a Deo factum, *ex parte Dei* maneat ſtabile & immutabile. Deus igitur *ſua culpa* nunquam & nuſquam abolet remiſſionem noſtrorum peccatorum, per fidem nobis gratis conceſſam; ſed ſemper ille in ſua uti eſſentia: ita quoque voluntate & opere eſt prorſus invariabilis, immutabilisque & perpetuo conſtans. Hæc de 1. theoremate.

24. Hoc ſit: „*Homines renati non tantum poſſunt irritare;* „*ſed ipſo etiam* actu *reddunt irritam ſuorum peccatorum, fide ac*„*ceptam remiſſionem per ſubſequentia peccata* regnantia, *& con*„*ſcientiam vulnerantia ac devaſtantia.*

25. Idque probo 1) *teſtimonio Jehovæ*, Ezech. XVIII, 24. *Quum averterit ſe juſtus a juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, ſecundum omnes abominationes, quas operari ſolet impius, nunquid vivet? Omnes juſtitiæ ejus, quas fecerat, non venient in memoriam (ſed) in prævaricatione, qua prævaricatus eſt, & in peccato*

 ſuo,

suo, quod peccavit, in ipsis morietur: Seu, propter prævaricationem suam, quam patravit, & propter peccatum suum, quod commisit, propter illa, *inquam*, morietur.

26. Hic 1) contra ZANCH. in *Misc. p.287.* SOHNIVM *Tom 2. in A. C. p.771.* SIBRAND *in Comment. 99. error. p.533. &c.* statuentes, Jehovam loqui de eo, qui *apparenter* tantum est justus, seque pro justo jactat, notandum est, quod hic Jehova loquatur de *vere* justo. Quod quidem *in Disp. 2. adversus* D. EGLINVM *thesi 79. & seqq.* aliquibus argumentis planum feci; verum tamen & hæc hic noto, sumens 1) *ab oppositione justi & injusti seu impii, v. 24-27.* Justus hypocritice & apparenter tantum, non potest vere *opponi* injusto & impio: quia is revera *est* injustus & impius. Idem autem *sibi ipsi* non opponitur; sed unum *dissentaneum oppositum* alteri. At justus, de quo Jehova hic loquitur, vere opponitur injusto & impio. Ergo. Fallit LVBERTVS, quando *p. 534.* ait, opponi hic illos, qui se justos esse jactent, istis, qui se peccatores esse agnoscant, ut *Matth. IX, 13. & Luc. XVIII, 9.* Nam si vel maxime concedam, justum alibi sumi posse pro eo, qui sibi justitiam somniat, eamque venditat; non tamen hic ita potest accipi, ut jam patebit amplius.

27. Nam 2) argumentum addo, *ab aversione justi* petitum. Ille enim justus hic describitur, qui eo quod se avertit a sua justitia reprehenditur, proindeque pœna ei denunciatur. At justus hypocritice non propterea vel reprehenditur, vel plectitur, quod a justitia *hypocritica* sese avertat. Quin potius Christus ait *Matth. V, 20.* Dico vobis, quod nisi abundaverit vestra justitia plus, quam scribarum & Pharisæorum, non possitis ingredi in regnum cœlorum Et Paulus *Rom. X, 3.* testatur, quod Israëlitæ, nescientes Dei justitiam & propriam justitiam quærentes, justitiæ Dei non fuerint subjecti.

28. 3) *Ab abstracto ad concretum.* Loquitur hic Deus de *vera justitia.* Ergo & de *vere justo:* Nam de illa justitia disserit, *qua amissa justus moritur.* At amissa justitia hypocritica non moritur.

moritur. Ergo. *Item.* De illa justitia sermo Domini est, quæ non potest simul stare cum prævaricationibus malitiosis; cujusque non amplius vult recordari, ut aperte evincit litera versus 24. 26. At hypocritica justitia potest simul stare cum ejusmodi prævaricationibus, ejusque dominus in pœnam vult recordari, nisi fiat resipiscentia.

29. 4) *A descriptione justi:* Qui talis hic intelligitur, qualis v. 5-9. describitur. At ibi non describitur apparenter & hypocritice justus: quia vere bona & vere justa opera ei tribuuntur. Rectissime ergo MVSCVLVS (quem ZANCHIVS, sed ipsius nomine tacito, perstringit) in *L. C. Tit. de remiss. peccat. q. 6. p. 470. edit. Basil. anno 1563.* hunc locum explicat de *vera* justitia.

30. *Deinde* notandum est, quod hic sermo sit de justo, *non qua talis perstat:* sic enim folia, ejus non defluent, *Ps. I, 3.* & ipse in æterna erit memoria, *Ps. CXII, 7.* sed *quatenus talis esse cessat.* Aperte enim, loquitur Deus de illo justo, *qui se avertit a sua justitia.* Vbi frustra ZANCHIVS, *p. 287.* excipit, justum se posse avertere, *si ejus natura spectetur;* non autem posse, *si spectetur Dei promissio, Jer. XXXII, 40.* Nam illa Dei promissio non est absoluta, *sed ordinata.* Plenius hanc & similes exceptiones refellit vel ipsa RICHARDI THOMSONIS *Diatriba cap. 12. p. 58. &c.*

31. 3) Observandum est, Jehovam non tantum loqui de ejus justi totali apostasia, & relapsu in peccatum adversus Spiritum S. ut excipit ZANCH. *p. 286.* In genere enim loquitur *de aversione a vera justitia, deque prævaricationibus pessimis:* per quas hic non intelliguntur *peccata infirmitatis;* quippe per quæ non projicitur justus, *Ps. XXXVII, 24. & CXLV, 14.* sed crimina *malignitatis:* utpote quæ vocat *abominationes*, quas operari soleat improbus.

32. 4) Spectandum est *integrum hoc complexum: omnes justitiæ ejus, quas fecerat, non memorabuntur*, seu *non venient in memoriam* (apud Jehovam) Sicut enim Deus dicitur *peccatorum*

nostro-

nostrorum *recordari*, cum illa *imputat* & *plectit*! Confer *Ps. CIX, 14. non-recordari* autem, cum ea *non imputat*, *nec vindicat*, sed condonat & tegit: Vide *Ezech. XVIII, 22. Jer. XXXI, 34. & Ps. XXXII, 1.* ita quoque *justitiarum* nostrarum dicitur recordari, cum eas clementer acceptat & gratis remunerat, *Act. X, 4. & Hebr. VI, 10. non-recordari vero* cum homo carnis operibus insecutis illas sibi facit irritas: ubi judicium Dei justissimum etiam tum concurrit. Nam v. 21. &c. perhibetur Deus omnium iniquitatum impii *conversi*, quas prius operatus sit, *non-recordari* i. e. misericorditer eas illi condonare, nec imputare, neque vindicare. Quare quando Deus similiter pronunciatur v. 24. omnium justitiarum justi aversi *non-recordari*, sensus est, quod ut justus vindex istas hominis justitias abominationibus ejus insecutis elisas, non amplius habeat ratas & validas.

33. Denique 5) ponderandum est, quod Jehova asserat, justum, se sic avertentem, *moriturum esse in prævaricatione, qua prævaricatus sit, & in peccato suo, quod peccarit.* Non itaque duntaxat Jehova asserit, quod iste aversus justus propter insecutam ingratitudinem & malignitatem suam mulctetur morte: sed etiam docet, *quod memoria priorum justitiarum sit apud se peritura.*

34. Hinc cum MVSCVLO *p. 470.* ita colligo: *Si præterita justitia oblivioni datur, & irrita redditur, propter sequentem iniquitatem, quanto magis peccata clementer remissa, ad justi judicii tribunal revocari possunt;* Sublata enim fidei justitia, tollitur peccatorum remissio, & vice versa. Beatificatio namque & imputatio justitiæ, *Rom. IV, 6-8.* exponitur per remissionem & obtectionem iniquitatum. At prius est. Ergo.

35. Frustra objectat ZANCHIVS *p. 288.* inquiens: Si (remissio peccatorum) potest fieri irrita *quovis* modo, nempe *vitio nostro*, ergo Deus peccata, semel oblivioni tradita, in memoriam revocabit, id est, puniet. At ipse ait *absolute: non-recordabor amplius.* Non ait non-recordabor amplius, *nisi vos iterum peccetis:* Neque ait, *quod ad me attinet*, sed *absolute* pronunciat, se non amplius recordaturum.

36. Quan-

36. Quandoquidem non *absoluta* sua clementia; sed *ordinata*, & in Christo redemptore & reconciliatore nostro exhibita, & per fidem appropriata nos Deus beare decrevit, & peccata nobis dimittit, *Act. IV, 12. & X, 43. & XIII, 38. & XV, 11. & Eph. IV, 32.* Vnde salus nostra dicitur esse *in Christo*, *2 Tim. II, 10.* & vita æterna esse *in filio*, *1 Joh. V, 11.* ita ut qui habet filium, habeat vitam; qui uero eum non habet, neque habeat vitam æternam, v. 12.

37. Quare licet *Ezech. XVIII, 22.* Deus ῥητῶς non inquiat: *nisi vos iterum peccetis:* tamen satis aperte eam προσθήκην v. 21. exprimit, quando ait: *Si impius egerit pœnitentiam, &c.* Item v. 31. *Convertimini, &c.* Sic *Gen. XVII, 7.* Jehova quidem clementer Abrahamo promiserat, se futurum ipsius, & seminis sui propitium Deum, veruntamen *hoc ordine & pacto*, ut custodirent Dei fœdus, *v. 9. 10. &c.* Et *Leu. XXVI, 3. & 12.* inquit Deus: Si in præceptis meis ambulaveritis, &c. ambulabo inter vos, & ero Deus vester, &c. Et *v. 14.* subiicit: Quod si non audieritis me, nec feceritis omnia mandata mea, sed spreveritis leges meas, & judicia mea abominati fueritis, ut non faciatis ea, quæ a me constituta sunt, *& ad irritum perducatis pactum meum;* ego quoque hæc faciam, &c. Confer *Deut. XXVIII, 1. &c. Mal. II, 2. Joël II, 12. 32. Es. I, 16. 17. 18. 19.* & omnia reliqua dicta, quibus nos Deus invitat *ad agendam pœnitentiam.* Non enim peccatori, *quomodocunque & qualitercunque sese habenti;* sed *vere resipiscenti & in Christum credenti* remittit peccata, *Act. III, 19. & XI, 18. & XVI, 30. 31. & XX, 21. & XVI, 20. Quamdiu* igitur peccator manet *vere fidelis*, tamdiu *ei* manet rata peccatorum remissio; quippe quæ *non nisi fide* apprehenditur & possidetur: *non enim pendet ab ullorum nostrorum operum bonorum conditione.* Confer *Rom. III, 28. & IV, 2. &c.* Et *Gal. II, 16.*

38. Itaque frivola est exceptio *Thomæ III, q. 88. art. 1. ad 3.* ubi dicit, quod per sequens peccatum justitiæ priores oblivioni tradantur, *in quantum fuerant meritoriæ vitæ æternæ; non tamen in quantum fuerant impeditivæ peccati.* Quandoquidem falsa est ipsius hypothesis, quod nostra opera, juste facta, *promereant*

nobis vitam æternam; quia hæc est donum Dei *gratuitum*, *Rom. VI, 23.* Quod si autem per *gratiam*, non jam ex operibus: quandoquidem gratia jam non est gratia. Sin ex operibus, jam non est gratia, quandoquidem opus jam non est opus, *Rom. XI, 6.* Nec sequitur: Remissio peccatorum accipitur & retinetur *fide.* E. dependet *ab opere aliquo nostro:* Quia fides in articulo justificationis *coram Deo*, semper *opponitur* nostris operibus, ut videre est *Rom. IV, 5. & Gal. II, 16. & Eph. II, 8. 9. Opposita* autem non sunt consentanea, multo minus *eadem.*

39. Nec Thomas nostram sententiam infringere valet, quando sic colligit art. 1. *Opus Dei per opus hominis irritari non potest.* Remissio autem peccatorum priorum est opus Dei. Vnde non potest irritari per sequens peccatum hominis, secundum illud *Rom. III, 3. Nunquid illorum incredulitas fidem Dei evacuavit?* Confundit enim Thomas *opera Dei*, quæ sunt vel *absoluta & immediata*, quæ per se solum Deus præstat, ut sunt *mundi creatio, resusciatio mortuorum, &c.* vel *certo ordini & modo ab ipso inclusa & innexa*, quem Deus ab hominibus vult non negligi, sed observari. *Illa* nullus hominum potest infirmare vel annihilare: vide *Jes. XIV, 27. & XLVI, 10. Esth. XIII, 9. & Rom. IX, 19. Hæc vero potest.* Vide *Lev. XVI, 20. & XXVI, 14. Jer. XI, 10. 31. 32. Gen. XVII, 14. Num. XIV, 34. Judic. II, 20. & Ezech. XVI, 59.* Et nonne *fides* est opus (non *nostrum*, sed) *Dei*? quam tamen *per opera carnis* homo potest excutere, ut alibi docui. Cum igitur remissio peccatorum sit opus Dei, *certo ordini & mediis a Deo inclusum;* hinc quando homo ordinem & media, ad *conferendam recipiendam & retinendam* peccatorum remissionem divinitus ordinata, petulanter negligit, tum aut non accipit delictorum suorum veniam aut acceptam *non retinet*, sed *sibi* irritam reddit.

40. Porro pro vero dicti Apostolici, *Rom. III, 3.* intellectu, sciendum est 1) per *fidem Dei* hic intelligi certam & immotam Dei de hominum salute constitutionem; seu veritatem & fidelitatem Dei in servandis suis promissionibus: quemadmodum CICERO *l. 1. offic. Tom. 4. p. 467. lit. b.* inquit: Fundamentum justitiæ

justitiæ est *fides*, id est, dictorum conventorumque constantia & veritas. Vnde ibid. Credamusque, *ait*, *quia fiat*, *quod dictum est*, appellatam *fidem*. 2) Καταργεῖν hic idem esse, quod ἀργὸν seu ἀεργὸν id est, ἄνευ ἔργου aliquid reddere, idque ἀκυροῦν καὶ κατακενοῦν. 3) Hominum ἀπιστίαν hic notare hominum non *simplicem* incredulitatem, sed ἀπιστίαν, malitiosa perfidia & rebellione aggravatam & exasperatam.

41. Vult autem Paulus obviam ire calumniæ, quam Judæi potuissent ipsi intentare, hoc modo. Paule, tu æquando gentibus Dei populum, tollis omnem ejus περισσότητα, seu τὸ περισσὸν & præcellentiam. v. 1. Respondet igitur negando, & concedendo primariam Judæorum prærogativam, quod ipsis credita fuerint τὰ λόγια τοῦ Θεοῦ, oracula seu eloquia Dei, quæ fuerunt λόγια ζῶντα, *Act. VII, 38.* quibus & Deus honorabile nomen imponit *Hos. VIII, 12.* inquiens: רִבּוֹ תּוֹרָתִי *i. e. amplitudines legis meæ.* Intelligit autem isto termino & legis doctrinam, & Evangelicas promissiones, tum apertas, tum typis in V. T. involutas. Depositum vero hoc tam pretiosum vult Paulus per antithesin innuere, Judæos perfide administrasse: siquidem hanc antithesin ostendit occupatio interrogatoria v. 3. *Quid tum enim* (scil. dicemus, ut est *Rom. VI, 1.*) *si quidam fuerunt increduli*, h. e. si *quidam* (excipit enim sanctos Patriarchas & reliquos credentes) non servarunt Deo fidem, sub qua sua eis eloquia crediderat: *num hominum ἀπιστία*, i. e. perfidia, *fidem Dei*, i. e. fidas seu fideles ac constantes Dei promissiones, καταργήσει, i. e. irritabit & evacuabit? h. e. an propter homines perfidos Deus perfidiæ accusari merebitur? an quia homines sua ἀπιστία, se bonis promissis privant, Deus propterea fuerit ἄπιστος, καὶ εὐμετάβολος? An quia homines Deo non confidunt, is propterea suam promissionem revocet, retractet & immutet, quod velit esse propitius Abrahami & seminis ejus, Deus? q. d. minime. Probatque hoc a veritate & Dei constantia, *Ps. XXXVI, 6. & LVII, 11.* quam illustrat a vanitate & perfidia hominis, *prout est corruptus per peccatum*, *Ps. XXXIX, 7. & CXVI, 11.*

42. Qui-

42. Quibus præmiſſis, ajo 1) Promiſſiones Dei *abſolutas* non poſſe καταργεῖσθαι ἀπιστίᾳ hominum, *ſive reſpectu Dei*, *ſive reſpectu hominum*. 2) Promiſſiones Dei *ordinatas*, i. e. certæ τάξει divinitus incluſas, conſiderari *vel* in ſeſe, reſpectu Dei promittentis: *vel* in applicatione & fructu ſuo ſalutari, reſpectu hominum, quibus promiſſiones ſunt factæ. In *priori* reſpectu etiam non poſſunt aboleri per ἀπιστίαν hominum: ſed in *poſteriori*; quia fructus promiſſionum divinarum retardatur & avertitur per ἀπιστίαν humanam, utpote quæ obſtat applicationi & appropriationi, ſine qua verbum Dei *homini non prodeſt*, *Hebr. IV*, 2. Sicut igitur homo per ſua flagitia *Deum* a ſe ſequeſtrat, *Jeſ. LIX*, 3. ita & *fidem Dei* per eadem atrocia facinora *ſibi ipſi poteſt* καταργεῖν, i. e. inanem reddere, & ſalutari ejus fructu ſe ipſum ſpoliare. Qua ergo fide & fidelitate Deus nobis peccata remiſit, in eadem fide conſtanter ipſe quidem manet reſpectu ſui, ſed homo eam ſibi καταργεῖ. Hæc de primo argumento.

43. 2) Sumo *ex parabola Chriſti*, *Matth. XVIII*, 22. *&c. quatenus a Chriſto eſt explicata*, *& ad ſcopum ſuum applicata*. Sponte enim fatemur, theologiam allegoricam, *niſi ſit a Spiritu S. expoſita*, non eſſe argumentativam. Jam vero ex explicatione & applicatione hujus parabolæ, a Chriſto appoſita, liquet 1) *ſcopum parabolæ eſſe hunc*, ut doceat, nos debere fratribus noſtris ſuas remittere offenſas. Conſtat is ſcopus, 1) ex Petri *quæſtione* v. 21. 2) ex Chriſti *reſponſione* v. 22. 3) ex particula *ratiocinativa*: Διά: v. 23. 4) ex Chriſti applicatione ἐπιφωνηματικῇ v. 34. Liquet 2) Chriſtum ſcopum ſuum probaſſe hoc argumento, in parabola propoſito, quia Deus ſit adverſus implacabiles homines ſeverus Judex & juſtus vindex. Merito enim obſervamus ſtudioſe particulam οὕτω, *ſic*: v. 35. Sicut namque rex homo miſertus ſervi ſui, & ad miſericordiam ipſius humilime confugientis, eum abſolvit, & totum debitum ei remiſit, v. 25. 26. 27. 32. poſtea vero cum ſervus ſuus ita miſericorditer abſolutus, nequiter peccaret, in conſervum ſuum crudeliter ſæviendo, v. 28-30. dominus ei fuit iratus, v. 34. & tradidit eum tortoribus, *quoad uſque redderet*

totum

totum debitum v.34. (NB. *a quo antea eum absolverat, quodque ei gratis remiserat v.23*) *sic & Pater meus cœlestis*, inquit Christus in applicatione *v. 35. faciet vobis, si non remiseritis suo quisque fratri ex cordibus vestris delicta illorum*, hoc est, Deus pater vobis resipiscentibus & fide ad ejus clementiam confugientibus peccata quidem vestra remittet: sed si impetrata remissione, deinceps opera carnis designando, & nominatim in fratrem sæviendo, vestram teterrimam ingratitudinem declarabitis, tum prius vobis datam peccatorum condonationem, *vobis ipsi* reddetis irritam, & severam Dei incurretis pœnam.

44. Hæc cum Christus tam conspicue *explicarit & applicarit*, turpiter errant ZANCHIUS in *Miscel. p.287.* & LUBERTUS in *comment. p. 525. & 526.* scribentes, hic Christum *non docere*, quod Deus peccata jam condonata iterum nobis graviter peccantibus sit imputaturus, & ea puniturus: sed *unum concludere*, idque conditionaliter; *nisi* igitur & nos remittamus fratribus daturos nos gravissimas pœnas, idque (ut hoc demus, inquit ZANCH. *p. 288. ἐκ τῆς ὑπεροχῆς*) in carcere inferni.

45. At vero 1) Christus apertissime in ἀποδόσει dicit *v. 35. sic & pater, &c.* evidenter indicans, quod homo, remissione peccatorum a Deo donatus, postea per gravissima patrata crimina, *sibi ipse* acceptam veniam & indulgentiam faciat irritam, sibique grave supplicium acceleret. 2) Quid? Christus non duntaxat hoc unum docet, quod homo ad ignoscendas fratribus offensas inflexibilis, gravissimas sit daturus pœnas; verum etiam ipsas nomine suo indigitat: quod scilicet talis homo cerebrosus & inexorabilis & crudelis debitum sibi antea remissum, denuo contrahat, & jam solvere id debeat, tortoribus traditus, &c.

46. Quid juvat hanc tantam veritatis divinæ lucem falsis glossis obnubilare? Rectius equidem & laudabilius multo fecit MUSCULUS, quando proposito Christi hoc sermone, hæc subjecit in *L. C. p. 470.* inquiens: *Annon hic manifestum est, fieri posse, ut peccatorum remissio semel impetrata, reddatur irrita, obstringaturque*

turque eorum gratia peccator, ad satisfaciendum divinæ justitiæ? Hæc ille recte.

47. Nec illa ZANCHII glossa, divinæ veritati satisfacit, quando *p.288.* scribit, hic voluisse Christum ostendere, illos falli, *qui putant*, sibi remissa esse peccata a Deo, cum tamen interim ipsi non remittant fratribus: *Item*, Christum voluisse docere, quid nobis futurum foret, *si* Deus summo jure, *vellet* nobiscum agere, cum non remittimus fratribus ex corde puro: nempe id, quod etiam illi ingrato famulo. *Jure* enim *posset* Deus omnia a nobis repetere debita. At non sequitur: Illud ergo *fieri*, &c. Hactenus ille, menti Christi non satisfaciens.

48. Nam 1) Christus alloquitur suos discipulos, & nominatim Petrum, ut constat ex *c. XVIII, 1. 18. 19. 21.* At discipuli illi *fuerunt vere fideles*; proindeque non putative & apparenter; sed vere & realiter tunc habuerunt peccatorum suorum remissionem. Quantumvis ergo verum sit, illos falli, qui putant, sibi remissa esse peccata a Deo, cum tamen interim ipsi non remittant fratribus: Christus tamen in illa sua parabola differit de vere credentibus, vereque indulgentiam suorum delictorum habentibus. Vnde & in applicatione parabolæ Christus dicit: sic & pater meus cœlestis faciet *vobis*, nimirum meis discipulis, & omnibus aliis. 2) Christus loquitur de ipso facto Dei patris. Sic & pater meus cœlestis ποιήσει *faciet* vobis &c. Quo igitur jure ZANCHIUS *factum hoc* negat, & duntaxat ad Dei *jus* confugit, & cur Christi *categoricam* vertit in *hypotheticam* propositionem? sed satis de 2. argumento.

49. 3) *Peto a* divina *circumcisionis* virtute & efficacia; & a *testimoniis Jes. I, 19. 20. & V, 20-25. &c. & LXV. 3. &c. Jer. VII, 14. &c. & XVIII, 8-10. &c. & XLIV, 5. &c. & Hoseæ I, 6.* & similibus, quæ Israëlitici populi circumcisi lapsum malitiosum testantur. Syllogismus sit talis. Omnes masculi inter Israëlitas circumcisi, in circumcisione vere acceperunt (exceptis adultis hypocritis) peccatorum suorum remissionem. At multi eorum deinde per flagitia enormia ad tempus interciderunt vel

etiam

etiam finaliter amiserunt gratiam remissionis peccatorum. Ergo; & per consequens per flagitia enormia potest irrata fieri remissio peccatorum.

50. Propositio probatur 1) ex *Genes. XVII, 7. &c.* ubi docet Moses, quod Deus hominibus circumcisis in circumcisione & per eam factus sit Deus propitius; quodque anima masculi octo dierum, quando is circumcisus non fuit, deleta fuerit ex populo. Per quod igitur Sacramentum Deus offert & confert suam sanctificantem gratiam, per id quoque largitur remissionem peccatorum. Posita enim illa, ponenda est hæc; & vice versa; siquidem cum sanctificatione arcte & insegregabiliter conjungitur remissio peccatorum, & illa cum hac, *1 Cor. VI, 11.* & fide *purificantur* corda nostra, *Act. XV, 9.* qua *donamur remissione peccatorum*, *Act. XVI, 30. 31.* At per circumcisionem Deus hominibus circumcisis vere obtulit & contulit gratiam suam sanctificantem seu regenerantem & justificantem. Absurdus enim cum aliis BELLARMIN. est, quando *l. 2. de effectu Sacram. c. 17.* scribit, verbis his: Ero *Deus tuus*, &c. non significari promissionem vitæ æternæ vel remissionis peccatorum sed tantum promissionem cujusdam peculiaris protectionis.

51. Est enim crassus oppositorum Elenchus: quia & peculiarem protectionem, & promissionem remissionis peccatorum imprimis ista verba continent, ut constat ex *Gen. XII, 3. & XV, 1. 6. & XVII, 4. & XXII, 18. & Rom. IV, 3. Gal. III, 6. 7. 8. 9. 14. 16. 18. 29. Jer. XXXI, 33.* & passim. Nec hoc aliter esse potest; quia in sacramento circumsionis fuit verbum gratiæ & clementiæ divinæ, quod est potentia Dei ad salutem omni credenti. Quicunque igitur circumcisioni detrahunt virtutem justificandi, illi verbo divinæ gratiæ eandem adimunt impie.

52. 2) Ex *Rom. IV, 11.* ubi Abraham dicitur signum accepisse circumcisionis, σφραγῖδα signaculum *justitiæ fidei*, quæ fuerat in præputio. Vnde constat, quod circumcisioni fuerint annexæ promissiones non tantum de rebus externis & temporalibus; sed etiam internis & æternis, & spiritualibus. Si enim percepta circumcisio

cumcisio fuit Abrahamo signaculum *justitiæ fidei;* ergo circumcisio etiam promissiones habuit de rebus spiritualibus, & ad æternam salutem pertinentibus, Justitia namque fidei *justificantis* est in numero rerum spiritualium. Non vero *demum* Abraham per circumcisionem fuit justificatus (sicut infantes circumcisi, per circumcisionem fuerunt vere justificati) quia jam ante per fidem fuit justificatus: sed per circumcisionem justificatio ejus fuit, non quidem *amplificata* & *augmentata;* non enim illa recipit magis & minus; sed *perpetuata, innovata & confirmata;* & non tantum significata; verum etiam *obsignata.* Siquidem sigillum seu signaculum plus dicit, quam signum. De his & aliis jam pluribus contra pontificios & alios disputare non constitui.

53. Sicut itaque *major* certa est: ita *minor* est etiam perspicua ex citatis dictis. Et quis neget, aliquos circumcisorum post perceptam circumcisionem *carnis opera* patrasse, & per illa vel ad tempus gratiam remissionis peccatorum adeptæ excussisse, vel etiam in illis perseverando damnatos esse? Quantopere Prophetæ flagitia Israëlitarum enormia reprehenderunt, & ad resipiscentiam eosdem admonuerunt? Non omnes tamen tam fidis illorum adhortationibus locum dedere, ut vel patet ex *Jer. XLIV, 16-18.* & parabola Christi, *Matth. XXII, 3. &c.* & gravi ejus querela, *Matth. XXIII, 37.* & Judæorum pœna, *Matth. XXIII, 38. &c. XXIV, 15, &c.* Hoc sit 3.

54. 4) *Argumentum depromo a divina virtute & ἐνεργείᾳ baptismi, juxta Christi institutionem administrati.* Argumentor ita: Aut omnes *baptizati* salvantur, aut quidam damnantur. At proh dolor non omnes baptizati salvantur, ut testatur res ipsa. Ergo quidam baptizati damnantur. Si hoc. Ergo illi remissionem peccatorum in baptismo acceptam, sibi irritam fecerunt. Nemo enim damnatur, qui fide ratam adhuc sibi habet suorum criminum veniam.

55. Nec est, ut dicas, in baptismo & per baptismum non dati baptizatis *omnibus & singulis* peccatorum suorum indulgentiam: siquidem & hypocritæ adulti quandoque baptizentur, qui tamen

tamen in baptismo non regenerentur, neque peccatorum suorum venia donentur. Nam ut hoc concedo: ita id esse baptismo ipsi *accidentale* pronuncio. Baptismus enim *per se & ex Dei intentione* baptizatis hominibus omnibus vere offert & nisi in adulta ætate baptizati nequiter Spiritui S. resistant, realiter confert Dei gratiam, & peccatorum veniam, ita ut baptizati eam etiam *accipiant*. Quod vel constat ex *Ephes. V, 26.* ubi PAVLVS testatur, quod Christus Ecclesiam *sanctificet & mundet lavacro aquæ*, i. e. baptismo, *in verbo*, i. e. per & propter Dei verbum *Evangelicum*. Baptismus igitur non est simplex tantum aqua, sed est aqua septa mandato Dei, & verbo Dei conjuncta.

56. Finge jam, baptismum non vere & realiter, neque organice & instrumentaliter; sed significative, tropice, metonymice vel ullo alio, humanitus efficto, modo baptizatos homines regenerare, mundare, & sanctificare, & sequetur inde, quod neque ipsum Dei verbum Evangelicum vere & realiter, neque organice & instrumentaliter, sed signotenus & modificate duntaxat regeneret, justificet & sanctificet. Id quod est falsissimum, ut videre est *Rom. I, 16. 1 Cor. I, 18. Jac. I, 31. Hebr. IV, 12.* & *1 Petr. I, 23.* Et profecto quia *verbum Dei* pollet divina virtute & efficacia *extra* Sacramenta, cur non etiam *in illis* eadem polleret? Nam manet *idem* Dei verbum utrobique.

57. Et pie, quæso, consideremus *infantes*, qui ὑποκρίσεως & actualis rebellionis expertes, *in infantia* juxta Christi institutionem baptizantur, & per baptismum fide, qua remissionem peccatorum accipiunt, vere & realiter donantur, ut alibi probavi. An autem dicemus, quod *omnes & singuli* infantes, qui vel ad juventutis, vel vegetioris ætatis, vel senectutis etiam annos deinceps pervenerunt, in vitam æternam ingrediantur? Hoc quidem modis omnibus optandum esset, sed sperari non potest. Vid. *Matth. VII, 13. 14. & XXIV, 24.* Quare non omnes, qui per fidem remissione peccatorum suorum antea fuerunt ornati, in ea fideliter perstant, sed illam sibi irritam reddunt, *sua ipsorum culpa*, & studio nequiter peccandi. Hoc sit 4.

58. 5) Argumentum peto *ab exemplo peccantium quorundam in Spiritum S.* Syllogismus sit hujusmodi. Quidam peccatores in Spiritum S. ante suum prolapsum vere & realiter per justificantem fidem in Christum, fuerunt donati remissione suorum peccatorum. At omnes peccatores in Spiritum S. damnantur, *prout sacra scriptura de illis loquitur.* Sic enim deprehendimus, quod & *finalis impœnitentia* in his peccatoribus sit. Vbi vero illa est, ibi non salus, sed æterna damnatio adest. Ergo quidam eorum, qui damnantur, ante suum prolapsum vere & realiter habuerunt omnium suorum peccatorum remissionem: & vi consequentiæ, hanc sibi *suapte culpa* fecerunt irritam.

59. Vt *propositio* clarior sit, notetur, quod dixi, *quosdam* peccantes in Spiritum S. ante suum, παράπτωμα, habuisse fidem *justificantem.* Nam nonnulli peccatorum ejusmodi possunt quidem certam & evidentem veritatis cælestis habere cognitionem, veruntamen non spiritualem, seu Spiritus S. inhabitatione obsignatam: sed tantum literalem & pædagogicam, ut constat ab exemplo quorundam Pharisæorum, quos Christus hujus peccati reos pronunciat *Matth. XII.* Alii vero possunt insuper fidem justificantem, eaque impetratam suorum peccatorum remissionem ante suam ἀποστασίαν vere habuisse; quales sunt illi, de quibus agitur *Hebr. VI, 4. 5. 6. & X, 26. & 29.*

60. Id quia in Disputat. contra D. PHILIP. CÆSAREM *thesi 5. 6. &c.* & in Responsf. ad Disputationes D. EGLINI, *Disp. 3. thes. 200. &c.* demonstravi & a variis adversæ partis argutis exceptionibus illa dicta vindicavi, jam tantum allegabo consensum quorundam Calvinistarum, ut MVSCVLI in *L. C. pag. 471. 472.* PETRI BERTII in libello integro de sanctorum Apostasia, ut & *Remonstrantum* in *Collatione Hagensi p. 353. &c. & p. 401. usque ad 464. &c.* & RICHARDI THOMSONIVS, Angli, qui *in sua Diatriba c. 5. p. 24.* ait: Porro *Heb. VI, 4.* de finalibus apostatis dicitur &c. quod fuerint *illuminati, gustaverint etiam donum cœleste, & participes facti fuerint Spiritus S. gustaverintque bonum Dei verbum, & virtutes futuri seculi. Quomodo illuminati?* Annon juxta illud *Ephes. V, 8. Fuistis aliquando tenebræ,*

nunc autem lux in Domino. *Donum* autem *cœleste* nonne *gratia est?* *2 Pet. I, 4.* *Magna & pretiosa nobis promissa donavit, ut consortes efficeremur divinæ naturæ.*

61. Addit (*pergit* RICHARDUS) *participes Spiritus S.* At vero cujus? Ait ipse *cap. X, 29.* spiritum *gratiæ* eos accepisse, id est, interprete Dn. BEZA, Spiritum illum sanctum, qui quodammodo Dei gratiam, id est, opus sanctificationis incipiebat in ipsis obsignare. Magnos ergo profectus fecerat fides illorum miserorum apostatarum. Deinde commate sexto ejusdem superioris *cap. VI.* ait Apostolus, quod fuerint *renovati*, idque adeo *revera.* Collegit illud ex vocibus πάλιν ἀνακαινίζειν, idem doctissimus BEZA. Vox *renovationis*, inquit, *ad eum statum refertur, in quem per originis peccatum inciderimus, inde rursus per spiritum sanctum in Christo per fidem apprehenso, in integrum restituimur, quæ gratia obsignatur Baptismi Sacramento.* Particula vero πάλιν *denuo* alterum a Christo cognito prolapsum respicit, cum ab eo defectionem altera in integrum restitutio non possit consequi. *cap. X, 29.* ejusdem epistolæ dicuntur sanguine testamenti *sanctificati.* Vbi HYPERIUS: Constat, Apostolum loqui contra eos, qui jam semel fuerunt participes doni cœlestis *& in Baptismo per Christi sanguinem sanctificati.* Hactenus RICHARDUS *iste Anglus.* Possem adducere plura ejusmodi testimonia e schola calvinistarum (quia multi illorum catervatim & turmatim cæperunt oppugnare *absolutam* hominum electionem & reprobationem &c. indeque per se scaturientes pestilentissimorum errorum rivulos: Deus & plures, velim, clementer convertat, eosque suo spiritu regat, ne in novos errores ruant, & in quibus adhuc sunt, ex iis feliciter eluctentur) sed brevitatis ergo ab isto labore abstineo, adducens 6) argumentum.

62. Idque sumo ex dicto Petrino *2 Epist. II, 18. 19. 20 21. 22.* & illa colligo: *Vere renati possunt inquinamentis mundi rursus involvi, & superari, ita ut postrema fiant pejora primis. Ergo & possunt adeptam peccatorum suorum remissionem reddere sibi cassam & irritam.* *Consequentia* probatur: quia 1) fidelis homo, quatenus & quamdiu manet donatus per fidem remissione

suorum peccatorum, eatenus & tamdiu non involvitur inquinamentis mundi. Hæ enim sunt opera carnis, *2 Petr. II, 18.* quæ opponuntur fructibus Spiritus Sancti, *Gal. V, 19. &c.* habita peccatorum remissione, eaque non labefactata, sed rata manente, cum homine isto *optime* agitur. At his, de quibus PETRVS agit, postrema facta sunt *pejora* primis. Confer. *Luc. XI, 26.*

63. *Antecedens* ut evidentius liqueat, notandum. 1) Petrum loqui de his non κατὰ δόξαν, sed κατ' ἀλήθειαν: Loquitur enim de his, qui non φαινομένως, sed ὄντως seu ἀληθῶς, vere & realiter aufugerant ab his, qui in errore versantur, ut ait Petrus *v. 18.* 2) Ipsum loqui de *renatis*, non qui *judicio charitatis* pro talibus tantum habentur, ut excipit PISCATOR hic *observ. 16.* SOHNIVS *tom. 2. p. 776.* & *contrare monstrantes in Collat. Hagensi p. 387.* sed qui *revera* tales sunt: quia 1) illi fuerunt *a veteribus peccatis purgati*, *2 Petr. I, 9.* non tantum Christi *merito*; sed etiam *reali applicatione.* Nam 2) *refugerunt ab inquinamentis mundi*, *2 Petr. II, 20.* At *refugisse ab inquinamentis mundi*, non est hypocritarum, sed vere fidelium & *renatorum* hominum proprietas & infallibilis nota: quia in concupiscentia μιασμῦ pollutionis ambulare, competit illis, qui carnem sequuntur, *2 Petr. II, 10.* i. e. non-renatis, peccatis multis se polluentibus, *v. 10. 12. 13. &c.* Et qui refugit a corruptione, quæ est in mundo per concupiscentiam, fit θείας κοινωνὸς φύσεως. *2 Petr. I, 4.* At soli renati sunt & dicuntur templa Dei, *1 Cor. VI, 19.* Ab impiis vero longinquus est Deus. *Proverb. XV, 29.*

64. 3) *Tit. I, 15.* *polluti* opponuntur τοῖς καθαροῖς; & per ἀπίστους explicantur, cumque illis complicantur, & de illis prædicatur, quod ipsorum & mens & conscientia sint polluta. Confer. *Rom. I, 24.* & adde *1 Cor. VI, 10. 11.* ubi *abluti* dicuntur etiam *sanctificati & justificati*, & hominibus non-renatis opponuntur. 4) *Hebr. XII, 15.* jubemur ἐπισκοπεῖν, ne quis sit, *qui deficiat a gratia Dei*, ne qua radix amarulentiæ obturbet, & per hanc μιανθῶσιν, *inquinentur* multi. 5) Et *2 Cor. VII, 1.* inquit PAVLVS: mundemus nos ipsos ἀπὸ παντὸς μολυσμῦ, *ab omni inquinamento* carnis & spiritus, perficientes *sanctimoniam* in timore

Dei.

Dei. Vbi certe adhortatur nos ad veram & sinceram purgationem ab omni inquinamento carnis. E. qui vere discessit ab inquinamentis carnis, & mundi, ille est vere renatus; qui jubetur se non accommodare mundo, *Rom. XII, 2.* quippe qui in maligno est positus. *1 Joh. V, 19.*

65. 6) *Ezech. XXXVI, 25. &c.* inquit Jehova: Spargam super vos aquam mundam, & *mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris*, & ab universis idolis vestris mundabo vos. Et dabo vobis cor novum, &c. Jam ergo quæro ex omnibus cordatis, annon sint vere sese mutuo ponentia, *esse mundatum ab omnibus inquinamentis*, & *esse renatum?* Sane id Deus ipse hic testatur *v. 26. 27.* Et PAVLVS *Eph. V, 26. 27.* Ideoque quia PETRVS differit de illis, qui ὄντως (hoc enim repetendum est ex *v. 18.*) refugerint ab inquinamentis (quod sine hac spirituali mundatione, & regeneratione fieri nequit) mundi; videt quisque sapientum, sermonem hic esse de *vere renatis*.

66. 7) Id patet hinc ulterius. Nam PETRVS de his hominibus pronunciat, quod refugerint ab inquinamentis mundi, *per agnitionem* (quæ est fructus meriti Christi) *Domini & salvatoris Jesu Christi*, i. e. per fidem veram & justificantem, quæ ista phrasi describitur, ut videre est *Joh. XVII, 3.* Neque hic intelligi potest *nuda* notitia Christi, sejuncta ab *assensu fiduciali:* quandoquidem illis tribuitur hæc agnitio Domini & salvatoris nostri Jesu Christi, qui vere refugerunt a sordibus mundi. At illi, qui *solam* habent fidem historicam, non refugerunt ab inquinamentis mundi; Secus & diaboli dicendi essent discessisse a pollutionibus mundi; quia historice credunt. Ergo. *Item per agnitionem Jesu Christi refugisse ab inquinamentis mundi*, notat, fide purificata corda habere, *Actor. XV, 9.* At per solam historicam fidem non purificantur nostra corda: secus etiam in historice tantum credentibus habitaret Christus: quia per fidem habitat in nostris cordibus. *Eph. III, 17.*

67. 8) De illis loquitur PETRVS, qui πάλιν rursus inquinamentis mundi involuti sunt, *& v. 20.* Vnde colligo. Qui *denuo*

implicantur mundi pollutionibus, & ita superantur, ut postrema illis facta sint pejora primis, illi fuerunt quidem, sed non amplius sunt renati & justificati. At Petrus de illis disserit. E. Sicut igitur is est non-renatus, & non-justificatus amplius, qui *rursus* implicatur *mundi* inquinamentis: ita ille fuit vere renatus & justificatus, qui antea vere ab istis discessit.

68. 9) Tandem de illis agit Petrus, qui sicut canis reversus ad suum vomitum, per cognitionem viæ justitiæ, & agnitionem Domini nostri Jesu Christi, omnem quidem impietatem evomuerant, sed ad prioris vitæ sortes remeando, illam resumpserunt & resorbuerunt: quique sicut sus λȣσαμένη, lota revertitur ad volutabrum cœni; per Spiritum S. fuerant quidem vere abluti, regenerati & sanctificati, veruntamen deinceps inquinamentis mundi fuerunt de integro implicati, *v. 22.* Quis ergo negare recte potest, Petrum hic agere de illis, qui fuerunt antea vere fideles? An enim ii, qui *nunquam fuerunt conversi, sed tantum fuerunt, & sunt non renati*, hypocritæ, sunt similes istius resorbentis canis, & suis vere lotæ? Certe hypocritæ tales non evomuerunt suam impietatem omnem; unde neque eandem *reglutire* dici recte queunt neque hypocritæ tales fuerunt abluti & purgati unquam a sua hypocritica & sordida vita. Proinde ad eandem *redire*, seu *rursus* ire dici vere nequeunt. Nam reditio prærequirit abitionem. Vnde ergo abierant, istuc remearunt & vice versa. At ab inquinamentis mundi non tantum abierant: sed etiam *aufugerant*, i. e. celeriter, alacriter & fideliter recesserant. E.

69. Plura prætereo, & 7. argumentum sumo *ab irritatione causarum remissionis peccatorum.* Syllogismus esto talis. Qui suis peccatis post impetratam suorum delictorum remissionem atrociter a se patratis, *sibi* potest omnes remissionis peccatorum, seu justificationis causas reddere irritas, is quoque peccatis iisdem potest sibi ipsam suorum peccatorum remissionem irritam reddere. At omnis renatus suis peccatis, &c. E.

70. *Propositio* liquet: Siquidem remissio peccatorum nobis nequit esse, & stare & manere rata & firma, nisi causas ejus habeamus & retineamus salvas & integras. Et sublatis & destructis causis, sine quibus ἐνέργεια vel ἐνέργημα nequit manere salvum, tollitur quoque & destruitur ipsa ἐνέργεια & ἐνέργημα.

71. *Assumptio* probatur: quia 1) homo renatus suis lapsibus & atrocibus delictis potest *sibi* irritam reddere *gratiam Dei*. Sic Paulus ad *Gal. V, 4.* inquit: *Quicunque per legem justificamini*, i. e. *justificari studetis, a gratia excidistis.* Excipiunt quidem *Contraremonstrantes* in *Collat. Hagensi p. 388.* Pauli sermonem non esse de gratia *regenerationis*, quod ab ea quispiam posset excidere, qui ejus vere fuerit particeps factus: sed de gratia *justificationis*, ex qua Galatæ exciderint, non quod fuerint illius unquam participes, sed quod sint ab omni ejus obtinendæ spe seclusi & remoti, quam diu per legem voluerint justificari, &c.

72. Sed committunt 1) fallaciam oppositorum. Siquidem gratia regenerationis est etiam gratia justificationis. Non enim alia atque alia, sed una eademque Dei gratia regeneramur & justificamur & salvamur. Quid enim aliud est regeneratio nostrum in hac vita, quam *propitia clementis* Dei actio, qua ministerio sui verbi & sacramentorum, nos, qui natura sumus filii iræ, per fidem justificantem facit filios gratiæ, & dummodo non fiamus πρόσκαιροι, sed perseveranter credamus, hæredes vitæ æternæ? 2) Falsum dicunt, quod Galatæ gratiæ justificationis non fuerint unquam participes: quia Galatæ ex prædicatione fidei acceperant Spiritum S. *cap. III, v. 2.* & Spiritu cœperant, *v. 3.* Spiritu, inquam, regenerationis & sanctificationis: quippe qui Galatas ad studium vere bonorum operum moverat. Vide *Gal. III, 4. & IV, 14. 15. & V, 7.* 3) Rursus opponunt non opponenda: siquidem *excidisse ex gratia Dei*, notat *&* excidisse a spe illius obtinendæ, *&* simul ea habita privatum esse. Galatæ namque renati, postquam seducti tam pestilentem in justificationis articulo errorem imbibissent, gratiam Dei, in qua alias steterunt, amiserunt.

73. Vnde constat, quod neque BEZA satisfaciat veritati, quando hic excipit, illos dici ex gratia Dei excidere, qui illius adipiscendæ iter erant ingressi: quod etiam reprobis contingat. Nam 1) Galatæ non tantum ingressi fuerant iter adipiscendæ gratiæ: sed etiam illam realiter adepti fuerant; quia per baptismum *induerant* Christum, *Gal. III, 27.* & filii Dei facti vere fuerant, *Gal. III, 26. & IV, 19.* 2) Reprobi juxta sententiam Calvinistarum sunt absolute exclusi a Dei gratia regenerante & justificante. Non vult igitur Deus, neque salvo suo *absoluto*, quod Calviniani cudunt, decreto, *serio* velle potest, ut reprobi iter ingrediantur ad accipiendam Dei gratiam. Sophismata PAREI, quæ in *comment. in epistol. ad Galat. cap. V. pag. 357.* ingessit, alibi solvi. Confer hic *Hebr. XII, 15. & 2 Cor. VI, 1. Galat. II, 21.* Hæc de 1) justificationis causa.

74. 2) *Christo* inanes se etiam per gravissimos errores grandiaque crimina possunt facere renati. Nam Paulus ad *Gal. V, 4.* ait: *κατηργήθετε ἀπὸ τȣ̃ Χριςȣ̃*, id est, facti estis inanes Christi, seu Christum vobis fecistis inutilem, *v. 2.* seu, ut D. LVTHERVS hic ait: Evacuati estis, estis Pharaones, hoc est, liberi a Christo: *Christus desiit in vobis esse & operari.* Nihil habetis amplius de cognitione, Spiritu, affectu, favore, libertate, vita, actione Christi, sed prorsus separati estis ab ipso, ut nihil negotii sit ei amplius vobiscum, nec vobis cum ipso &c. Confert *2 Pet. II, 1. & Heb. VI, 6.*

75. 3) *Spiritum gratiæ* possunt renati, postquam relapsi sunt contumelia afficere, *Heb. X, 29.* eique resistere, *Act. VII, 51.* & eum exacerbare, *Ps. LXXVIII, 40.* affligere, *Esa. LXIII, 10.* & contristare, *Eph. VI, 20.* & *verbum Dei, sacramenta* contemnere & repellere, *Act. VII, 33. & XIII, 46. & Luc. VII, 30.* & passim.

76. 4) *Fidem* denique justificantem possunt plane excutere per lethalia flagitia. Vid. *Luc. VIII, 13. Act. VIII, 13. 2 Tim. I, 19. Rom. XI, 22. 23. Heb. III, 6. 14. & X, 35. 2 Pet. III, 17.* & passim. Quae dicta ab adversariorum φλυαρίαις in ipsa

συζη-

συζητύσει vindicabo ne hic justo sim prolixior. Hæc de 7. argumento dicta sint.

77. 8) Sumo *a natura & proprietate remissionis peccatorum*, & ita argumentor: Remissio peccatorum vel est *absoluta*, vel *ordinata* in Christo per fidem apprehendendo. *Non est absoluta:* quia id asserere, est pestilentissimum plenis velis adducere Photinismum, quem toties Sacra Scriptura damnat, quoties mentionem facit λύτρȣ & meriti Christi, idque, si justificari velimus, fide apprehendendum inculcat. Ergo est ordinata in Christo per fidem apprehendendo. Si hoc. Ergo qui possunt Christum fide non-apprehendere, & hanc apprehensionem interrumpere, illi quoque possunt acceptam peccatorum suorum remissionem sibi reddere irritam; ratio est; quia justificamur non absque fide, sed per fidem, qua Christum cum suo merito fiducialiter tenemus, nobisque applicamus. At vere renati, postquam carnis operibus incipiunt studere, possunt Christum fide non-apprehendere &c. imo tunc non amplius Christum filiali fiducia, utpote per peccata mortalia excussa, apprehendunt, ut probat exemplum Davidis, Salomonis &c. Ergo. Huc illa refert, quæ in hanc sententiam docet MVSCVLVS, *p. 470. 471.*

78. Sed opponunt hic nobis Calviniani divinas promissiones, *Ezech. XVIII, 21. 22. Esa. XLIV, 22. LIV, 10. & LIX, 21. Mich. VII, 19. Jer. XXXI, 34. & XXXII, 38. 39. 40.* & similes: verum breviter respondeo, 1) has promissiones non esse *absolutas*, sed *ordinatas*. Servato itaque vel violato Dei ordine, obtinentur vel non obtinentur bona promissa. 2) Deum docere, quod *ex sua parte* sit, & esse semper velit constans & immutabilis in promissis suis præstandis. At non negat homines *ex sua parte* posse fœdus initum frangere: Hoc itaque licet homines violent, ille tamen manet fidelis in æternum, *Rom. III, 3. & 2 Tim. II, 13.* Hactenus igitur citata & similia Dicta a mente Calvinistarum sunt aliena: id quod etiam demonstrans *remon-*

strantes in Collat. Hagensi p. 416. &c. Et certe ipsa inanitate inanius est, quod ZANCH. *in Miscell. p. 288.* urget, hinc tolli discrimen inter legem & Evangelium. Licet enim Evangelium nobis credentibus peccatorum veniam offerat & præbeat sine conditione nostrorum bonorum operum: non tamen negat, per opera nostra *mala* eandem posse irritam reddi. Nec sequitur: Bona nostra opera non *procreant* nobis remissionem peccatorem. Ergo neque mala eam *destruunt:* sicut neque sequitur: Bona opera non salvant. Ergo nec mala damnant. Quia est elenchus *parium*, &c. Plura alias.

79. 9) Argumentum depromo *ab excussione regenerationis*, & ita procedo: Qui possunt malitiosis suis noxis excutere sui regenerationem, illi quoque possunt iisdem flagitiis peccatorum suorum irritare sibi & deperdere, seu irridam reddere remissionem siquidem spiritualis nostrum regeneratio, & peccatorum nostrorum remissio inseparabiliter sunt connexa: confer. *1 Petr. I, 21. 22. 23.* Proindeque omnis, qui credit Jesum esse Christum, ex Deo natus est. *1 Joh. V, 1.* Nam per fidem sumus filii Dei, *Gal. III, 26. & Joh. I, 12.* Atqui renati possunt malitiosis suis noxis, quando eas patrant, excutere sui regenerationem, ut abunde vel probat exemplum *Galatarum IV, 19.* quos PAVLVS *πάλιν, rursus* parturiit, donec formaretur Christus in ipsis, hoc est, quos denuo convertit, emendavit & regeneravit, anxie laborans, ut iterum acciperent non formam Pauli, sed Christi figuram & similitudinem, in animis ipsorum per pseudoapostolos deformatam & obliteratam. Quæ Christi forma est hæc, ut Galatæ iterum idem, quod Christus, sentiant, cogitent & velint, inque eum fiducialiter recumbant & opera sua ceu causas socias ex articulo justificationis coram Deo, procul relegent.

80. Obstrepit hic nobis PAREVS *in Comment. Epist. ad Gal. p. 324.* vere regeneratos nunquam emori *penitus;* quia semen Dei, ex quo fuerant regeniti, sit immortale, *1 Pet. I, 23.* & semper in eis maneat, *1 Joh. III, 9.* Resp. Fallit PAREVS; quia

quia si Galatæ *illi* seducti *quos* PAVLVS hic dicit se rursus parturiisse, manserunt *renati*; ergo non opus habuit eos πάλιν ὠδίνειν: At illos denuo parturiit. Ergo *illi* seducti non manserunt renati, sed gratiam regenerationis ante excusserant. 2) Christus lapsis Galatis factus fuerat otiosus & inutilis, & illi ex gratia Dei exciderant. *Gal. V, 2. & 4.* Ergo prius in gratia & in Christo fuerant. Lapsus enim ex Dei gratia & amissio Christi præerequirit possessionem divinæ gratiæ & Christi. Addo 3) quod Israëlitæ in circumcisione & per eam fuerint regenerati, justificati & renovati: Et tamen postea mortaliter peccando illam gratiam sæpe multi eorum amiserunt. Vnde & *Deut. XXX, 6.* promittit suo populo Deus circumcisionem cordis ipsius, i. e. emendationem, regenerationem, sanctificationem &c. De qua *spirituali* circumcisione sermo etiam est *Jer. IV, 4. & Rom. II, 29. & Col. II, 11.* Hinc *incircumcisum esse corde & auribus*, *notat irregenitum esse*, *Jer. IX, 26. Ezech. XLIV, 9. & Act. VII, 51.* Sicut igitur circumsio ista *spiritualis* per peccata regnantia potuit & potest fieri irrita: ita & regeneratio: Id quod fatentur vel ipsi remonstrantes *in collat. Hagensi. p. 457.*

81. Nec argumenti PAREI aliud evincunt. Nam 1) verbum Dei *in sese* quidem est semen incorruptibile: sed tamen *in hominibus pessimis* est corruptibile & ἄκαρπον, *hominum* scilicet, non *Dei*, vitio. Vide *Luc. VIII, 5. &c. Actor. XIII, 46. & 2 Cor. II, 16. 17. & IV, 3. & 4. 2 Joh. I. III, 9.* ait: Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit (studiose & malitiose) ὅτι, i. e. quia & quatenus semen ipsius in eo manet, & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est, hoc est, quia & quatenus renatus est & manet *v. 6.* *Cæteroqui* potest peccare, ut Johannes testatur *II, 1. 15. 24. 26. III, 15. 17. IV, 1. & V, 21.* Quatenus igitur renatus manet talis, eatenus non malitiose peccat & semen Dei manet in eo: & vice versa. Alias diabolus semen verbi divini vel ex cordibus hominum potest eripere, *Luc. VIII, 12. &c.* Vide *collat. Hagensem p. 448. &c.* &

diatribam RICHARDI Angli *c. XX, p. 57. 58. &c.* Hæc de 9) argumento.

82. 10) Denique desumo *a natura peccatorum regnantium*, & ita colligo: Quicunque possunt incidere in peccata *regnantia* illi quoque *possunt* irritam reddere, imo irritam sibi reddunt a Deo impetratam suorum delictorum indulgentiam. Renati possunt incidere &c. Ergo. *Propositionem* stabilit PAVLVS *Rom. VIII, 13.* Nam, inquit, si secundum carnem vixeritis, i. e. si regnabit peccatum in mortali vestro corpore, ut obediatis illi per cupiditates ejus, *cap. VI, 12. moriemini.* En! mors & æterna damnatio insequitur regnantia flagitia. Vbi autem est reatus damnationis æternæ, ibi non est remissio peccatorum rata; quia remissio divina est etiam ipsius reatus relaxatio. Et *Gal. V, 19. & 1 Cor. VI, 9. 10. & Apoc. XXI, 8. 27. & XXII, 15.* Spiritus S, docet, quod qui opera carnis designent, extorres sint regno cœlorum. Nemo autem, qui ratam habet peccatorum suorum remissionem, est exors regni cœlestis. Remissio enim peccatorum non est absque imputatione justitiæ Christi. *Rom. IV, 6. 7. 8.* Vbi hæc est, ibi est salus & vita æterna *Ps. XXXII, 1. & Dan. IX, 24.* confer. *remonstrantes in collat. Hagens. p. 362.* quorum sententiam quando *contra remonstrantes p. 394. 395. &c.* negant, statuentes, *non est verum* quod quando renati labuntur in gravia peccata & *opera carnis*, fidem justificantem prorsus amittant: indicant, se *indolem fidei justificantis* non satis intelligere, & crassum papismum invehunt, de quo vide BELLARM. *lib. I. de justif. c. XV.* quem vel ipse PARCVS refellit. Confer diatribam RICHARDI *c. XXI. p. 65.*

83. *Assumptio* ut clarior sit, definitionem *peccati regnantis* prius ex scriptis calvinistarum allegabo, quam probationem instituam. *Peccatum regnans* est, inquit SOHNIVS *Tom. II. p. 558.* cui homo non resistit per gratiam Spiritus Sancti; sed *indulget & servit;* vel cum homo obedit cupiditatibus carnis, hoc est,

naturæ

naturæ corruptæ, & impulsus sua infirmitate, & a diabolo, ex peccato ruit in peccatum. *Hæc ille.* Et KECK. *in Syst. theol. p. 279.* idem docet, & tandem ait: *quædam peccata regnantia perpetrantur cum quadam tristitia & sensu doloris, sine plena delectatione.*

84. Hoc regnans peccatum non tantum posse, sed etiam actu sæpe ipso patrare renatos, testatur Sacra Scriptura tum dictis, tum exemplis, quæ licet magno numero possem adducere: jam tamen adduco tantum confessionem SOHNII *p. 558.* ubi inquit: Peccatum regnans est proprie in non renatis; *sed quandoque tamen etiam in renatis*, vel errantibus in fundamento, vel alias labentibus contra conscientiam: sicut ostendunt exempla *Aaronis*, facientis vitulos aureos, & *Davidis* committentis adulterium & homicidium contra conscientiam. *Hæc* ille ibi recte quidem.

85. Sed *p. 778.* glossam adducit hanc, quod Aaron, David, Petrus; etsi graviter peccarint: non tamen lapsi sint sine lucta Spiritus & carnis, nec toto animo ac plena voluntate, nec ex destinata malitia, sed ex infirmitate. Idem glaucoma nobis objectat ZANCHIVS *in Miscellan. p. 69. 175. &c. Contraremonstrantes in Collat. Hagensi p. 395.* & PAREVS *in Epist. ad Roman. p. 587. &c.*

86. At vero juxta censuram Spiritus S. *Peccatum regnans in nobis* regnat *tum* nostra *ὑπακοῇ obedientia & assensu, conjuncto* cum peccati conceptione & machinatione, *Rom. VI, 12. Jac. I, 15. tum* ipsa completa *patratione*, *Rom. VI, 13. & Gal. V, 16.* Quando igitur renati in peccata sic *consentiunt* eaque *perficiunt*, tum peccata regnantia committunt: licet *cum in gradu intensiore & malitiosiore illa designant, gravius quoque & atrocius eadem exasperent.*

87. Hæc jam non latius probo; remitto enim Calvinianos, præmemoratam hanc glaucomam nostris oculis obducere

ſtudentes ad RICHARDVM Anglum *in Diatriba c. 21.* ubi iſtas illorum ſtrophas diluit. *Pag. 63.* ait: *Miſelli illi peccatum regnans inepte definiunt, & quo modo nulli veterum Theologorum ne per ſomnium quidem, in mentem unquam venit &c.* Et *p. 65.* adverſariorum, *inquit*, doctrina ex *Libertinorum* ſchola profluxit. Illi enim, teſte CALVINO, *c. 18.* non ſe, ſed aſinum ſuum peccatum admittere ructabant, quoties quid flagitii patraſſent &c. Item: Et quid aliud docuerunt, *inquit*, qui anno CIↃ CCC LXV. Pariſiis combuſti ſunt, quando ajebant, peccata mortalia, ut adulteria ſtupra, homicidia &c. non eſſe mortalia peccata, *ſi in caritate fierent*, hoc eſt, ut adverſariorum verbis dicam, *ſi fiant ab electis juſtificatis &c.* Conſulant Calviniani reliqua, quæ Anglus iſte ibi habet, quibus rectius hic edoceri poſſunt.

88. Plura argumenta prætereo, & duntaxat contraria ZANCHII argumenta, quæ in Miſcell. habet *p. 284. 285. &c. & p. 329. 330.* tango, copioſius de illis in ipſa diſput. dicturus. Ait ille, remiſſionem peccatorum non fieri irritam in *electis*; quia per *ſolum peccatum in Spiritum S. irritetur*, quod in electos non quadret. (Reſp. *Vt hoc ultimum concedo: ita aſſero, per omnia peccata regnantia, quæ in renatos quandoque cadunt, remiſſionem peccatorum fieri irritam:*) Nec in *reprobis*; quia illis nunquam a Deo detur remiſſio peccatorum; ſiquidem 1) ſanguis Chriſti non ſit pro illis effuſus. 2) Chriſtus pro iis nunquam rogarit. 3) Gratia Spiritus S. illis nunquam detur. 4) Neque fides. 5) Neque regeneratio. 6) Neque pax conſcientiæ. *Hæc ille*, quæ meræ ſunt petitiones principii, & e diametro pugnant cum ſanctis literis, ut alibi docui. Sane MVSCVLVS, vi veritatis adductus, ſcribit *p. 471.* De reprobis nullane illis unquam peccatorum remiſſio contingat, diſputari poſſe intelligo. Dantur illis *in epiſt. ad Hebræos c. VI.* illuminatio per Chriſtum, guſtus doni cœleſtis, participatio Spiritus Sancti, guſtus item boni Dei verbi, ac virtutum ſeculi venturi. Et *cap. X.* ſanctificatio, quæ eſt per ſanguinem teſtamenti, & ſpiritus gratiæ: Et in poſteriore Petri *c. II.* comparantur ſui, quæ ubi lota fuit, rurſus

in

in cœno volutatur. Quomodo hæc illis sine omni peccatorum remissione contingere possint, non immerito quæri potest in hac causa. *Hæc ille*, quibus ego addo, quod nequaquam reprobis recensita illa vere tribui possint, nisi etiam remissio peccatorum suorum illis vere adscribatur, ut pie meditanti liquet, nec hac vice plenius id probo.

89. Quia enim jam ante in Disputat. contra D. EGLINVM, planum id feci, jam actum non agam, ZANCHII sophismata in actu Disputationis prolixius refutaturus. Faxit Jehova, ut ne nostris flagitiis impetratam fide nostrorum peccatorum remissionem irritemus, sed in vera fide constanter perseveremus, & vitam denique æternam reportemus.

APPENDIX.

Cum typothetæ jam me de remansuro certiorem fecerint vacuo spatio, illud præcavere cupiens, addere volui solutionem argumenti alicujus ZANCHII, speciem habentis (nam reliqua ejus argumenta sunt *aperte* falsa) quod tale est: *Reprobi nunquam habent jus, neque possessionem æternæ vitæ: neque glorificantur.* E. nunquam habuerunt remissionem suorum peccatorum (*proindeque in illis ea non potuit irrita fieri.*) Quisquis enim remissionem peccatorum impetrat, jus vitæ æternæ recipit, & qui jus recipit, tandem in possessionem ingrediatur necesse est. *Quicunque enim justificantur, etiam glorificantur*, *Rom. VIII, 30.* Resp. 1) Reprobi quidam ad tempus *vere & salvifice* credunt, ut vel constat ex *Luc. VIII, 13. Heb. VI, 4. 5. 6. & X, 26. 29.* (quæ dicta alibi vindicavi a putridis Calvinistarum glossis) & *2 Pet. II, 18. 20. 21.* Ergo quidam reprobi *ad tempus* habuerunt jus vitæ æternæ: Omnis enim vere fidelis, qua talis, est hæres vitæ æternæ. 2) Homo qui jus vitæ æternæ recipit, is quidem tandem post mortem temporalem transferetur in vitam æternam, sed tamen, *si perseveravit fidelis usque ad mortem*, *Matth. XXIV, 13. Apoc. II, 10. 26. & III, 11. 12. 21.*

At

At isti reprobi non perseverarunt fideles usque ad mortem; sed fuerunt πρόσκαιροι. 3) Quicunque justificantur, ii glorificantur, scilicet *illi ipsi*, de quibus PAULUS loquitur *Rom. VIII, 30.* At ibi non loquitur de *omnibus omnino justificatis*; sed de illis, qui juxta propositum Dei vocati sunt, *v. 28.* quosque Deus præscivit & *prædestinavit. v. 29.* Justificati igitur *electi*, i. e. *finaliter* credentes, tandem *glorificantur*. At vero quidam alii, quia tantum ad tempus vere credunt, sed post resiliunt; ideo ad tempus quidem etiam vere sunt justificati; sed postea desinentes credere, desinunt quoque justificati esse, ut alibi probavi copiosius.

S. D. G.



Feuerborn, Justus.
Dematione disputatio-
num.

4143

At isti reprobi non perseverarunt fideles usque ad mortem; sed fuerunt *πρόσκαιροι*. 3) Quicunque justificantur, ii glorificantur, scilicet *illi ipsi*, de quibus PAVLVS loquitur *Rom. VIII, 30.* At ibi non loquitur de *omnibus omnino justificatis*; sed de illis, qui juxta propositum Dei vocati sunt, *v. 28.* quosque Deus præscivit & *prædestinavit. v. 29.* Justificati igitur *electi*, i. e. *finaliter* credentes, tandem *glorificantur*. At vero quidam alii, quia tantum ad tempus vere credunt, sed post resiliunt; ideo ad tempus quidem etiam vere sunt justificati; sed postea desinentes credere, desinunt quoque justificati esse, ut alibi probavi copiosius.

S. D. G.



BT 715 .F45	Feuerborn, Justus. De natione disputationum. 4143
MAY 12 '36 SEP 28 '36	Bindery